ISAACI CASAVBONI AD FRONTONEM DVCÆVM *S. J. Theologum* Epistola;

In qua de Apologia disseritur communi Iesuitarum nomine ante aliquot menses *Lutetiæ Parisiorum edita.*

LONDINI
Excudebat IOANNES NORTON,
Serenissimæ Regiæ Maiestatis, in Latinis, Græcis & Hebraicis Typographus.
ANNO CIↃ IↃC XI.

E4742

ISAACVS

CASAVBONVS

FRONTONI

DUCÆO,

S. I. Theologo, V. Cl.

S.P.D.

Jesuite

LEgi ſuperioribus diebus, Fronto Ducçe, vir eruditiſſime, librum Apologeticum nuper iſthic ab vno Patrum Societatis veſtræ ſcriptum, & de communi omnium ſententia publicatum. Legi autem eo diligentius & accuratius, (præter morem ſanè meum, qui nullius cuiuſquam mortalium famam ſolitus appetere, in polemicis hoc genus ſcriptis operam non amo abuti meam:) non ſolum, quia in magna exſpectatione eam Apologiam priuſquam prodiret in lucem fuiſſe

iſſe intellexeram: verùm etiam, & multò quidem magis, quia Epiſtolam non ita pridem à te acceperam, quæ Reſponſionis eius legendæ cupiditate non mediocri me accenderat: quippe qua ita aiebas eſſe confutatas famoſi cuiuſdam libelli calumnias, vt iam multorum animi à Societate veſtra prius admodum alieni, eius lectione pacati & vobis penitus ſint conciliati. Quinetiam literis ijſdem, ſi meminiſti, me pro eâ conſuetudine, quæ plures annos Lutetiæ Pariſiorum inter nos interceſſit, rogabas, vt Sereniſſimo Potentiſſimóq; MAGNAE BRITANNIAE REGI, omni maximarum, exquiſitiſſimarúmque laudum genere Principi digniſſimo, hoc ipſum ſignificare vellem; & poſtquam per nouam hanc Apologiam cauſſæ veſtræ æquitatem cognouiſſet; id agerem apud MAIESTATEM ipſius, quò religionis veſtræ hominum perſecutioni, (ſic enim dicebas, & ita multis credere lubet,) finis tandem aliquis imponeretur. Atq; hæc eadem alium etiam Societatis veſtræ non obſcuri nominis Patrem, à ſpectatiſſimæ virtutis & integerrimo viro D. Fabricio Boderiano Chriſtianiſſimi Regis Legato, qui munere ſuo feliciſſimè hîc perfunctus, in Galliam

liam ante paucos dies eſt reuerſus, per literas enixè petijſſe, (& erat literis adiectum Apologetici exemplar,) non clam me erat. Itaq; nihil mediocre iam de eo libro mihi ſpondebam, cuius freti genio & tu, doctiſſime Fronto, & ille alter tuus* οὐχ ὁ τυχὼν συμμύστης, Regi maximo, literatiſſimo, iudicijq; acerrimi, cuius offenſum erga Societatem veſtram animum reformidare poteratis, probari ipſum tamen poſſe nihilo ſecius confideretis. Mirificè verò geſtiebat animus mihi, ex eius lectione cognoſcere, quid auctor ad illa reſponderet, quæ à grauiſſimis viris, atq; inculpatæ vitæ, eandem vobiſcum religionis formam profitentibus, multis ex Ordine veſtro ſolent paſſim objici: quaſi erga Reges & Principes præpoſtero quodam religionis zelo parum æqui eſſetis, & iura ipſorum ac dominationem alienæ potentiæ amplificandæ ſtudio, multimodis, quoties ſe daret occaſio, ſcriptis, factis, iretis imminutum. Equidem perſuaſiſſimum habebam, fieri vix aut ne vix quidem poſſe, vt quæ tibi ſcriptio tantopere probaretur, (vide quanti te faciam,) cuius effectus adeo inſignes prędicares, de qua tantam ſpem concepiſſes, quicquam eorum affine contineret,

* *Non vnus è multis conſecrarens.*

propter quæ non Magnæ tantum Britanniæ optimi clementiſſimíque Regis offenſionem incurriſtis ; ſed & multis alijs Illuſtriſſimis Principibus, multis Rebuſpublicis prudentiſſimis, vniuerſo etiam Ordini ampliſſimo Senatus Pariſienſis, & (de quo vos video non dubitare, ac multum queri,) omnibus Politicis Societas veſtra dudum grauis euaſit & ſuſpecta, ne dicam ingrata & inuiſa. Quo magis ſum demiratus, & ſtupore quodam inter legendum defixus, cum exſpectationi meæ adeo pleraq; animaduerterem non reſpondere, vt cauſſam dicere aut comminiſci nullam poſſem, cur tibi viro intelligenti & perſpicaci, cur cuiquam alij, non planè Mamacutho & communis etiam ſenſus experti, eos facere animos ſcriptum eiuſmodi potuerit; quod rectè æſtimantibus non cauſſæ veſtræ iuſta proferre in lucem queat videri : ſed illam potius opinionem de vobis, quæ plurimorũ mentes occupauit, (ſcitis ipſi, & in Henrici Magni morte experti eſtis) voluiſſe confirmare, & magis magíſq; in legentium animos defigere. Atq; ego iam hic profiteor, de ijs duntaxat loqui me, quæ ad Principum iura, dignationem, ſecuritatem, ſalutem denique & vitam pertinent.

pertinent. Nam si quæ alia vestris hominibus à quoquam obiecta eâdem Responsione diluuntur; ea nihil ad hanc caussam: neque ego iam illa quicquam moror. Opto magis, eam vt vestri Ordinis Theologis mentem Deus immortalis inspiret, ita det se gerere, ita faxit ipsos* ἀγάπην ἥτις ἐστὶ σύνδεσμος τῆς τελειότητος ἐνδύσασθαι, nihil vt posthac inimici vestri præter calumnias & ficta crimina habeant, quod vobis obijciant.

* Καί κε δ' βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον εἴη.

Scio quem hodie in multis orbis Christiani regionibus locum Societas vestra obtineat, quid quantúmq; valeat: quæ si à defensione doctrinę Hildebrandicæ & Bonifacianæ animíq; rigore illo præfracto, quem in plerísq; vestrùm homines εἰρηνικοὶ obseruant, ad æquitatem, lenitatem, & illam quam pij Patres Græci appellant συγκατάβασιν, Latini condescensionem, animitus traduceretur; magnum haut dubiè ad communem Christianorum concordiam & re & exemplo momentum afferretis. Me vt hæc ad te simplici animo scriberem, vir amicissime, non odium aliquod impulit, aut obtrectandi cuiquam prurigo; à quo pestilente morbo, nimis hodiè latè grassante

* *Charitatē induere, q̄ est vinculū perfectionis.* Col. 3. 14.

* *Istud ego optarem, foret & magis vtile multo.*

* Praterita vitæ actiones.

* Absurda.

* Non impetrabilis.

sante, mores meos abhorrere * τὰ παροιχόμενα, nisi fallor, vel tacente me fidem fecerint: sed illa ipsa, quam dixi, Epistola, petitióq; tua, ab optima quidem, credo, voluntate profecta: verùm quæ male posito prorsúsq; ruinoso nitens fundamento, planè mihi visa est parum æqua & * ἀπροσδιόνυσος, ac proinde superuacua & * ἀδυνάτος. Magno enim in errore versati estis, & tu, optime Ducæe, & tuus ille συμμύστης, cùm putastis eiusmodi Apologiam, eo filo contextam, eo scopo scriptam, & Principibus ita apertè inimicam, non dico Magnæ Britanniæ sapientissimo Regi, aut vlli alij Principi, cui salus sua non fuerit vilis, placere posse; sed cuiquam omninò, qui Principi suo, & dignitati securitatíq; ipsius optet esse consultum. Equidem sic a libri illius lectione discessi, vt pro satis comperto haberem, te cum illa ad me scriberes aut ipsum non legisse, aut non tam iudicium fuisse tuum secutum, quàm alienæ voluntati obsecutum. Noui enim te & quàm miti ingenio sies; neque memoria mihi crebri illi in mutuis colloquijs nostris sermones tui exciderunt, omni moderatione & mansuetudine condîti, in quibus te semper publicæ tranquillitatis studiosum, subditum

φιλθασι-

*φιλοβασιλέα, & in natis ante pauca secula controuersijs, nostro hoc acerrimè agitatis, quæ ad iura Principum pertinent, plerisque alijs animaduerti multò æquiorem; deq; auctoribus & defensoribus doctrinæ adeo exitiabilis sanè, piéque & liberè non semel audiui iudicantem. Quo diligentius faciendum duxi, vt non magis meum, quàm Regis ipsius, & aliorum virtute præstantium virorum, qui *ἔμιξαν τῇ περιστερᾷ ὄφιν, de illa Apologia iudicium & iudicij potissimas caussas indicarem: si fortè multarum rerum, præsertim Anglicarum, quæ ibi ceu verissimæ produntur, & tanquam indubitatæ fidei affirmantur, horribili falsitate cognita, impetrare, qua auctoritate es, à Socijs tuis posses, vt posthac falsas narratiunculas spernerent, veris, certis, atque adeo publicis Actis fidem ne abrogarent, & ad necessarium, nedum iustum sui odium Regem *φιλαληθέστατον ac simul omnes veri amantes prouocare desinerent. Quod si fecerint, honori suo, mihi crede, & totius Societatis vestræ melius in posterum consuluerint. Enimuerò quàm parum candidè, parumque aptè ad conciliandam vobis Principum beneuolentiam Apologeticon illud sit scriptum,

*Regis amantem.

*Columba serpentem miscuerunt.

*Veri amantissimum.

non est difficilis demonstratio. Nempe hoc agitur magna totius libri parte, vt dicta quædam & sententiæ defendantur nonnullorum è vestris, eruditorum quidem hominum, fateor, sed quorum opiniones non paucas Principibus & Rebuspublicis esse pernitiosas magno consensu prudentes contendunt, & tristissima confirmat experientia. Et appello conscientiam tuam, mi Fronto, num iudicio tuo omnia probentur, quæ in tuorum libris de hoc argumento legisti? an paratus sis omnes illorum sententias, ceu * κυρίας δόξας defendere? quod tamen sine vlla exceptione Auctor Apologiæ facit. Omnia defendit, omnes tuetur, omnes laudat, vno Marianâ ægrè excepto. Equidem is non sum, qui siquid fortè incautius aut inconsultius viro docto in scribendo exciderit, protinus in deteriorem partem id velim interpretari, & in malæ mentis argumentum rapere. Bonum virum hæc κακοήθεια & malignitas non decet: Christianam vero charitatem multo minus. At quoties salus Principum agitur, quoties publica res, cuius incolumitas in Principis incolumitate vertitur, siue aperta molitione, siue per cuniculos in discrimen adducitur; tum enimuerò longè alia

* rata ac certa sententias.

alia res eſt, alia ratio; neque iam vlli * ἀνεξικακίᾳ aut molliori interpretationi quærendæ locus. quin immo haud ſecus ac ſi eſſet Pyrrhus, aut Hannibal ad portas, commoueri tum bonos ciues, contremiſcere totis artubus, diriſſima quæque exempla ob oculos ſibi ponere, & præ anxia ſollicitudine omnia etiam tuta timere, non dico fas, ſed omnino neceſſe eſt. omnis hic honeſtus pauor: omnis trepidatio fortis & laudabilis: omne durius dictum factumue iuſtæ ſuſpicioni mouendæ idoneum eſt iudicandum. In patria præſertim noſtra, mi Ducæe, & hoc maximè tempore. Quid enim? Vidit Gallia non ita multos ante annos, quia iura principalia violabantur, diuina humanaque iura fœdum in modum ſubuerti, omnia ſuſque-deque miſceri, homines hominibus, ciues ciuibus lupos fieri. Vidit Gallia poſtquam Maieſtas Vnctorum Domini in animis ciuium malorum, & praua doctrina corruptorum euiluit, duos optimos & fortiſſimos Reges ſuos teterrimo parricidio (& quidem eodem fere pacto vtrumque) ſibi eſſe ereptos; vidit & luxit, ac nunc etiam luget. Et erit aliquis tamen in Gallia, qui cæde tam recente Henrici Magni, Regis heu nuper

* æquanimitati.

noſtri, bonis omnibus acerbè gementibus, patrocinium eorum ſcriptorum ſecurus ſuſcipiat, quos nouit Orbis terrarum Principibus omnibus eſſe infeſtos, eorum Coronas imperio Iouis Capitolini totis viribus ire ſubiectum; Maieſtatem modis indignis minuere; & clara iam atque alta voce, *Cornua quæ vincatque tubas* contendere, vnicum eſſe mundi vniuerſi Dominum, vnicum vt ipſi appellant, Vice-deum; vnum Imperatorem, vnum Regem, vnum verè Principem, Pontificem nempe Maximum. cuius imperio ſi quis Regum aut Principum parum ſe præbeat morigerum, ſiue in ſpiritualibus, vt multi ſæpe, ſiue in temporalibus, vt ſuperiore ſeculo Iohannes Rex Nauarræ; hunc illa etiam falſa imagine Principatus, quam doctrina iſta Regibus concedit, ipſo iure, etiam ante prolatam à Pontifice ſententiam, vt multis placet, vel certè ſtatim à prolata ſententia, excidere; eius ſubditos omni vinculo naturalis ſubiectionis eſſe ſolutos; ipſum vel ſubiectorum populorum viribus, vel aliorum Principum ſolio detrahendum, & tanquam piacularem victimam finibus ditionis, aut etiam è numero viuentium, ſi opus ſit, eſſe exterminandum. Non ignota

nota loquor, neque tibi incomperta. Teruntur omnium manibus Doctoris Martæ Neapolitani libri, quibus hæc omnia totidem ferè literis, & quidem potiſſima horum in Epiſtola ad ipſum Pontificem, Paulum V. cui opus nuncupatur, & cuius priuilegio eſt editum, continentur. Neque verò infrunitus hic Marta quicquam dicit, quod alij multi & ante ipſum & poſt ipſum, ore pleno, non dixerint, & voce, ſcriptiſq; docuerint. Niſi tu fortè ignoras, quæ ſuper hac quæſtione noſtris temporibus (ne vetuſtiora attingam) ab Alano, Sandero, Andrea Philopatro, Treſhamo, Carerio, Bozijs Fratribus, Moſconio, Mancino, Peſantio, Conſtantino Veruna, Simancha, & innumeris alijs, quà Iuris Canonici interpretibus, quà Theologis, ſunt ſcripta. Omnium inſtar eſſe queant duo Illuſtriſſimi Cardinales, Baronius & Bellarminus; quorum ille cum Eccleſiaſticos Annales, ingens opus & laborioſum, ſuſciperet contexendos, id vnum emunctæ naris hominibus videtur negotij ſibi dari credidiſſe, vt hanc de infinita Summi Pontificis potentia mirificam doctrinam, per totam ſeriem temporum *εὐκαίρως, ἀκαίρως, confirmaret; qui etiam Paulo V. Pontificatum in-

* *opportunè, importunè.*

eunti, Gregorium VII. ceu perfectam aliquam ideam legitimæ adminiſtrationis cum propoſuit; hoc videlicet non obſcurè ſignificauit; eum demum ſe iudicare laude dignum Pontificem, qui dominationis ſuæ cauſſa cœlum terræ miſcere, & vniuerſam Europam cædibus & parricidijs implere non dubitaret. Cardinalis verò Bellarminus quantum in ſimili propoſito vrgendo ſudarit, quanta contentione & ſtudio negotium geſſerit, tot editæ ab ipſo lucubrationes, tot libri nuper in cauſſa Veneta, contra Patrem Paulum excellentis doctrinę virum, & alios ſcripti, abundè teſtantur: omnium verò maximè qui poſtremus eo ſuper argumento, ab illo eſt paullo ante publicatus, Liber aduerſus virum doctiſsimum Gulielmum Barclaium I. C^um. de quâ ſcriptione quod debeat eorum eſſe iudicium, qui publicas res ſuas cupiunt eſſe ſaluas, ne vel ego, aut tu, vel quiſquam alius poſſet ignorare: Senatus primum Venetus (nam ad hos liber prius peruenit) deinde Pariſienſis Curiæ Patres, quibus ſalus noſtrorum Regum propria ſalute charior, ſatis cauerunt. Sed quid verbis opus? Idem ille Cardinalis Bellarminus in illo ſuo infauſti nominis Torto & alijs aduerſus

aduerſus Sereniſsimum Magnæ Britanniæ Regem ſcriptis, hoc vnum habet, cur Iuſiurandum Fidelitatis nolit à Regis ſubditis Regi præſtari; quia id illi videatur aliquo pacto (obliquè ſanè & indirectè, quanquam ne ſic quidem: & ſunt vel rei ignari, vel meri Sycophantæ qui hoc dicunt,) Summi Pontificis omnipotentiæ repugnare; in quo peccâſſe, vt quidem illi placet, fidem Catholicam ſit abnegâſſe, & appellatione Chriſtiani ſeſe indignum reddidiſſe. Hinc videlicet illæ lacrymæ, & labor ille veſtrorum præſertim hominum; qui ita perſuaſi, nunc cum maximè, quia vident ferrum ſuum in igne eſſe, vt alijs quoque idem perſuadeant, *Pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi.* Atqui doctrina hæc quam ſit Principibus metuenda, euidentiſſimè docent tot intra paucos annos aut patratæ Principum maximorum cædes, aut tentatæ; tot proditiones nouæ, inauditæ, quibus nihil ſimile priora vlla ſecula viderunt. Quem verò eſſe exiſtimas * γνήσιον Gallum, cuius intimis præcordijs non hæreat infixa & æternum ſit hæſura parricidæ, qui * ὦ μακαρίτῃ Regi nuper vitam eripuit, vox obſeruatione & acri Politicorum omnium meditatione digniſſima?

* *Germanũ.*

* *Beatæ memoriæ.*

ma ? Qui à ſupremæ auctoritatis iudicibus de cauſſa ſuſcepti parricidij interrogatus, quum more patrio in reorum ſellula ſederet, non per ambages aut ænigmata, ſed liquidò & diſertè reſpondit ; ideo ſe quod feciſſet feciſſe, quia Rex Proteſtantibus Germaniæ Principibus opem ferre parans in Cauſsâ Cliuienſi, Pontifici Maximo rem faceret ingratam ; ac proinde dignus eſſet qui periret. Deum enim ſe in terris Romanum Pontificem agnoſcere; cuius voluntati, qui ſeſe quouis pacto opponeret, eum ſe habere * αὐτοκατάκριτον & exitio deuotum. Ipſiſſima feralis illius prodigij verba ſunt, *Papa eſt Deus, & Deus eſt Papa.* Tantos iſte parricida in hac noua doctrina quæ Papam facit in terris Deum, fecerat progreſſus. Quæ quum ita ſint, nemo, opinor, ſanus cerebri dicat, parricidarum ſicas magis eſſe Principibus metuendas, quàm venenata Alaſtorum ſcripta, quæ doctrinâ Satanicâ infectas mentes ad parricidia ducunt. Non enim tunc incipit aliquis eſſe parricida, cùm ad ſcelus patrandum manum expedit. Tunc tunc ſcelus contrahitur, quando incipit mens doctrina Marianæ aut ſimilium illius corrumpi : & parricidij horror ac deteſtatio, omnium hominum

* *Suomet ipſius facto cõdemnatum.*

minum mentibus à Deo indita, minuitur paulatim & labefactatur: quando, mutatis rerum appellationibus, quod prius exiſtimabatur, vt eſt reuera, ἄγος inexpiabile, iam facinus laudabile aut etiam meritorium (dictu horribile, ſed multos ita hodie ſentire infanda ſcripta faciunt fidem) incipit videri. Scias hunc certum eſſe parricidam, cuius animus doctrinam parricidiorum magiſtram ſemel imbibit. Præclarè, vt ſemper, B. Ambroſius ſermone primo in Pſalmum CXVIII. libidinoſum compellans, *An putas*, inquit, *tunc primùm te intrare meritorium, cùm fornicem Meretricis ingrederis? Intraſti iam, quando cogitationes tuas meretrix intrauit. Intraſti iam, quando ad potiendam proſtibuli cupiditatem greſſu mentis intraſti. Pulſaſti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiſcendæ decorem oculos mentis aperuiſti.* Nihil hoc verius, nihil certius. Sed & Stoici rectè docent, probatque multis ſapiens Epictetus; facta mortalium quæ mirari vulgo ſolemus, ex altâ firmaque perſuaſione mentis (προλήψει ipſi appellant) proficiſci: neque aliquid poſſe fingi tam arduum, tam durum aut dirum, quod non alacriter ſuſcipiat, &, quod in ſe fuerit, intrepidè ac conſtanter det effectum ſiue vir, ſiue fœmina, ſiue

etiam puer, cui fuerit mens firmiter perſuaſa, ſic eſſe opus facto. Igitur omnem laborem & difficultatem eſſe, in perſuaſione illa informanda & * πάγιως conſtabilienda: quo ſemel facto, nihil iam mirum videri debere, ſi Calanus aliquis Indus, ſi multæ Græcorum ciuitates, ſi plurimæ hodieque mortuis maritis mulieres Barbaræ, incendio voluntario vitam finiant: Si Mutius aliquis aut Theodotus ſui periculi oblitus, per medios hoſtiles exercitus perrumpat, & per tela per hoſtes haud dubiam in mortem vadat, quò Duci inimico iugulum petat, & morti illius ipſe quoque immoriatur: ſi Heroſtratus aliquis cupiditate famæ, quàm leuis, Deus bone! rei & friuolæ, ędem ſacram nobiliſſimam, futuri ſecurus, incendat: ſi aliqua Arria viro ſuo ad mortem ſibi conſciſcendam præeat exemplo, & ſimul dicat, Pæte non dolet: Si alia fœmina, quò ſibi grauem vitam adimat, aut caput in parietes impingat, quia alia ad letum nulla patet via, aut prunam candentem in os immittat: Si Caſtellus aliquis (vt de hodiernis exemplis vnum ponam) ætate penè puer, malitia ſenex recoctus, in Regem ſuum, Regem glorioſiſſimum & optimum, nullâque re quàm clementiæ

* *Firmiter.*

tiæ laude magis admirabilem, audet conſpirare, audet exitium illi machinari, audet ſacram eius Maieſtatem pro nihilo ducere, audet deniq; ſecuri, & Procerum ſuorum coronâ cincti, os auguſtum cultro temerare. ô vim admirabilem perſuaſionis ! Mihi hæc ſcribenti, & magnitudinem ſceleris animo reputanti, totum horrore corpus perfunditur ; vix manus officium facit ; vix oculi lacrymas tenent : illi ephebo, rerum imperito, nullo vſu docto aut firmato, ad patrandum quod deſtinarat ſcelus prodigioſum, mens conſtitit, vultus non concidit, neque refugit manus, quod mens conſcelerata iubebat exequi. Omnino res admiranda : ſed memores tamen eius, quod modò dicebamus, admirari deſinamus. Nam vbi ſemel honeſtatis, nedum pietatis, veræ an falſæ, ſpecie mens eſt occupata ; ilicet periculorum reſpectus omnis ceſſat, ceſſat mortis & cruciatuum, quamuis quæſitiſſimorum, metus. Quid autem non poteſt, qui perfectam mortis * ἀφοβίαν inducere in animum poteſt ? Dominus eſt alienæ vitæ, quiſquis prodigus ſuæ. Noſti vetus verbum,

* Τίς ὅστις δοῦλος τὸν θανάτου ἀφόβητος ὢν ;

Quamobrem male rationem ſubducunt, ſi

* *Vecnitatem metus.*

* *Quis, rogo, Mori paratus ſeruitutem ſerviat?*

qui existimant securitati Principum suorum fore abundè consultum, vbi in parricidas nouis & inauditis suppliciorum generibus fuerit animaduersum. Atqui parum est, iam consummatum scelus vlcisci & punire, nisi * ἄνωθεν τὴν πηγὴν διορύττομεν, vt Græcorum habet prouerbium, & ad fontem ipsum vnde scaturijt malum ascendimus, nisi omnes aditus, omnes viæ, omnes semitæ, quæ siue recto siue obliquo tramite, eò ducunt, sollerter inuestigatæ, & maturè fuerint obstructæ. Quis porrò sanus cerebri ambigit, nouam hanc doctrinam & libros ei asserendæ conscriptos, quibus hodie nihil frequentius, ad Principum contemptum viam munire? ex contemptu autem facile homines impelli ad praua quæuis consilia, rebelliones, conspirationes, cædes denique & parricidia, omnes intelligunt. At quorsum hæc? inquies. Nemo enim eorum qui in Apologia hac defenduntur, Principum occidendorum auctor vnquam fuit. Viderimus postea, num alicuius Galli innocentia hic defendatur, num aliquis Anglus dilaudetur & cœlis inseratur, qui eiusmodi criminis fuerint affines; interim hoc dico, & eo confidentius dico, quia apud te, quem videor nosse; etsi nemo

* *Fontem à capite fodere.*

mo eorum quibus Apologia iſta patrocinatur, ad Principum mactationem diſertè lectorem inſtigat; multa illos tamen docere, ac velut è ſacro tripode pronuntiare, quæ parricidium meditantibus animos facere & in nefando incepto confirmare ſint idonea. Itaq; talia ſcripta, & quidem ea ipſa illorum loca, tam accuratè defendere, an in eo ſit ferendum, qui ſe bonum ciuem, ſubditum fidelem, & Domini IESV diſcipulum ac ſectatorem haberi poſtulet; te, mi Fronto, iudicem fero. Simul velim illud cogites, quàm ſit periculoſum, docuiſſe aliquid virum inſignem, puta aliquem è veſtra Schola Theologum, quod per * πορισμῶν & conſecutionum myſteria, conſilia dira animo voluentibus videatur fauere. Sæpe enim quod dicitur exiguum eſt, quod è dicto ſequitur, magnum. Hoc quam vim habeat, & habet meo iudicio maximam, peto à te etiam atque etiam, vt mecum hæc æquo placidoque animo velis expendere. Nam & opera eadem cognoſcemus, quo candore Apologiæ auctor in hac defenſione ſit vſus; Principibus æquum an iniquum ſe præbuerit; ſpes denique illa veſtra an ex merito venerit. Primus de quo agitur eſt Petrus Ri-

* *corolariorum.*

badeneira, ſcriptor de nomine ſatis mihi notus; de ſcriptis non adeo. Nam præter libellum, *De tribulationibus huius ſeculi*, ſanè pulcherrimum, pauca illius adhuc vidi: & ille ipſe liber, vnde ſunt deſumpta verba quæ in controuerſiam vèniunt, ad manum mihi non eſt. Sequar igitur Apologiſtæ fidem, & concedam illi non inuitus, veniſſe nunquam in mentem P. Ribadeneiræ facinoris tam execrandi, vt parricidia Principum ſuaderet, aut etiam laudaret: per ſe quidem & *ἁπλῶς: quia tamen non obſcuram ſignificationem dedit, Henrici III. diriſſimam cædem ſe probaſſe; quia etiam parricidæ Tartarei ſic meminit, vt propius multo abſit à laudante, quàm à deteſtante, quod in Sectatore Ieſu non immeritò aliquis demiretur; negari non poteſt, datam eſſe occaſionem ſuſpicioni haud iniuſtæ, quaſi eorum ſaltem Principum cædem non improbaret, qui gratia Pontificis Maximi quoquo modo exciderint: quum præſertim, peſſimo exemplo, Principi quem perditiſſimus Monachus, proprius ſubditus, per immane ſcelus occiderat, ipſe profeſſione Theologus maledicat: Principi, inquam, mortuo, quod vix ab immanitate Barbara queat excuſari;

*ſimpliciter.

sari; & quidem eiusmodi Regi, qui vel fatente Apologista, vtut illi cum Papa tunc non conueniret, semper tamen dum vixit, & re & nomine fuit Christianissimus. Sed excusat Ribadeneiram auctor, & furore illorum temporum ait abreptum. Quasi nihil peccaret, qui furorem aliorum sequitur: præcipuè is, qui Theologus audiat, non vnus è multis, sed primarius, & quidem è Societate IESV: immo vero in peccato eodem non par culpa eorum, qui ducere doceréq; debent, & eorum qui duci & doceri. Nam *ἐὰν τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; Laudo interim Apologistam, & quod dat accipio. Nam is ingenuè hîc confitetur, rebellionem aduersus Henricum III. furorem merum fuisse temporum; quam verissimam sententiam suam nescio an Cardinali Bellarmino sit probaturus; qui Lutetiæ egit per illos annos publici furoris, totius coniurationis (Ligam vocant) approbator, fautor, & fax præcipua. Nam de Papis duobus, à quibus profectæ excommunicationes funestissimum illud patriæ furentis (vt hic fatetur) incendium conflarunt, nihil dico. Ribadeneira igitur, expressis ille quidem verbis parricidia Principum non laudat: quem tamen

* *Si sal euanuerit, in quo salietur?* Matt. 5. 3.

men probauimus videri poſſe non abſurda conſequentia, quaſdam Regum cædes non improbaſſe: hoc verò quid aliud eſt, niſi animos potius addere parricidia meditantibus, quàm à ſceleſta cogitatione ſceleſtos auertere? Iſtud autem, ſpeccatum Apologiſtæ videatur, an bonum factum, equidem neſcio; verùm ſcit Deus * ὁ καρδιογνώστης; omnes certè Principes, omnes Politici, omnes non ficti, neque artibus corrupti exoticis ſubditi, Regum præſertim Chriſtianiſſimorum, grauiſſimè Ribadeneiram peccaſſe contendent. Atq; hoc ſi candidè, vt bonos decet, Apologiſta eſſet confeſſus, ingenuo candori debitam laudem merito ſuo tuliſſet. Sequitur auctor Amphitheatri horroris, honoris volui dicere: quem librum Apologiſta cùm laudat, tanquam exquiſitæ eruditionis plenum, ſuo ipſiuſmet indicio ſorex ſe prodit. Nam totius literaturæ melioris rudem eſſe oportet, ac planè quid ſit Latinè loqui, aut ſaltem, vt vetus Poeta ait, αἰθεσπίνως λαλεῖν, hominum more loqui, ignorare, cui næuoſus ille liber & *κώδωνας ἐζημμένος, atque vt cum Petro Apoſtolo dicam, *ὑπερόγκα ματαιότητος φθεγγόμενος, poteſt placere. Næ illis qui amphitheatralem illam

* *Scrutator cordium.*

* *Tintinabula habens appenſa. Longinus.*
* *Superba vanitatis loquens.*

&

& hiſtrionicam verborum ampullatorum congeriem ex Apulei Aſino, & alijs præcipuè Africanis ſcriptoribus, nullo iudicio collectam admirantur, oleum miſerè perijt & opera, ſiquam in libris veræ Latinitatis euoluendis aliquando poſuerunt: nam * παιδείας quidem Ἑλληνικῆς & omnis ſolidioris eruditionis ipſos eſſe * πηλίνους ἀμυήτους, & mediocriter docti poſſunt animaduertere. Sed huius litis ipſum te Fronto eruditiſſime * καθίζω διαιτᾶν, & vnâ tecum, ſi lubet, Andream Schottum, virum in hijs literis inſignem, & Tullianæ eloquentiæ ſtrenuum vindicem. Verùm hoc fortaſſe leue: illud ego non concoquo, & homine candido indignum iudico; quod diſſimulat Apologiſta ſcire ſe, Clarum Bonarſcium per anagrammatiſmum eſſe ipſiſſimum Carolum Scribanium. At quid illi ſciunt, qui hoc neſciunt? an verò eſt aliquis veſtrorum in Republica literaria adeo hoſpes & peregrinus, vt hoc ignoret? Statim vt in lucem * τέρας illud prodijt, iactatus eſt Lutetiæ Pariſiorum liber muſteus non vnâ ex cauſsâ: docti prodigioſum dicendi genus mirari; magni viri, qui ad clauum ſedent Reipublicæ, doctrinam Principibus pernitioſam deteſtari:

* *eruditionis Græcæ.*
* *Penitus rudes.*
* *Fero iudicem.*
* *prodigium.*

omnes auctorem velle cognoscere & quærere ; quæsitus est, & nullo negotio statim inuentus: neque dubitauit postmodum quisquam, scriptum esse librum * πρόδιον à Carolo Scribanio, Collegij Iesuitici in inclyta Antuerpia Rectore: de quo homine quum amicos Flandros, viros ob doctrinam & simplicitatem morum mihi charissimos, interrogarem ; nemo vnus est inuentus, qui vel specie saltem tenus, negaret ipsum esse Scribanium, qui se Bonarscium dici maluisset: virum cætera non inhumanum, (sic enim aiebant) & lectionis multæ: verùm qui vbi de hodiernis in negotio religionis controuersijs ageretur, aut de Romani Pontificis potentia, soleat * δαιμονίως ἐνθουσιᾶν & κορυβαντιᾶν,

Quælibet in quemuis conuitia figere sæuus.

Quod & verissimum est,& cuiuis compertissimum, qui vel semel & in transcursu eius Amphitheatri infames ludos spectauerit. Neque hoc nescit auctor Apologiæ; verùm dissimulat & tergiuersatur ; parum ingenuè hoc quidem. Nam si librum probabat, cur tam seriò negat esse * τοῦ πατρὸς ὃ παιδίον ? Si non probabat, cur operis * ἀδοκίμου, cui ne ipse quidem eius pater præfigere nomen suum aperte est ausus,

* *Prodigiosum.*

* *Furore quodam ingenti more Corybantũ agitari.*

* *Sui Patris filium.*
* *Reprobi.*

auſus, defenſionem ſuſcipit ? Audiamus verò præclaram defenſionem : Negat Carolum Scribanium libri primi capite XII. quicquam dixiſſe, quo Regum Chriſtianiſſimorum Maieſtas ſacroſancta & iura antiqua minuantur. Deum immortalem ! adeóne frontem perijſſe de rebus, vt hoc dicere, hoc ſcribere, hoc publicare in Vrbe Regia, vix dum peracto Henrici Magni funere, certè * τῶ πένθους ἔτι ἀκμαζόντος, nec dum poſitis lugubribus, aliquis ſit auſus ? Scilicet iniuriam Regibus noſtris nullam facit, qui non obſcurè Romanis Pontificibus ita eos ſubijcit in temporalibus ; nam de his eſt quæſtio ; vt ſi eorum adminiſtratio fuerit culpabilis, in poteſtate ſit Papæ ; non dico ſpirituali gladio, paterno affectu in viam rectam reuocare : ſed temporali gladio, tanquam eſſet Papa Rex Regum in terris, Dominus dominantium, in ipſos ſæuire, eos deponere & ſolio deturbare. At quid eſt Maieſtatem glorioſiſſimorum Regum lædere, & noua iura in eos ſtatuere, ſi hoc non eſt ? Non ſunt igitur, vti video, Reges Francorum ſui iuris, neque ab vnius Dei, ſicut hactenus eſt certò creditum, pendent nutu ; ſed precariò regnant, & vicariam neſcio quam poteſtatem habent, à Ro-

* *dum adhuc viget luctus.*

mano Pontifice, vero Gallorum Rege, vt Canonici ſentire nos volunt, ſibi demandatam. O Gallia, ô patria mea, quàm tu alia longè nunc es, atque olim fuiſti! Sed ignoſcamus Apologiſtæ; credamus eum non perfidia in Reges ſuos, verùm ignorantia peccare; neſcit enim, credo, Regum Chriſtianiſſimorum iura, quæ nemo tamen germanus ciuis, & cordatus Gallus, aut poteſt aut debet ignorare. Neſcit quid Papæ Bonifacio VIII. Rex Philippus, Philippi Audacis F. Pulcher, reſcripſerit. Neſcit quid eiuſdem Regis magnanimi auſpicijs Sarra Columna & Nogaretus Narbonenſis fecerint. Adiret igitur Sorbonam, & celeberrimæ illius ſcholæ Doctores conſuleret. Doceret eum Sorbona, quàm fuerit hactenus in Gallijs periculoſum hoc neſcire; narraret quoties ipſa Ordini ampliſſimo aſſenſum præbuerit; ſeuerè in eos animaduertenti, qui mitiora longè quàm Scribanius dixiſſent. Commemoraret eorum exempla, qui vel prioribus ſeculis vel hoc noſtro, vt Ioannes Tanquarellus, Florentinus Iacobus, & Thomas Blanzius, quod de temporali poteſtate Papæ auſi eſſent mutire, pœnas meritiſſimas luerunt. Omitto recens exemplum in theſi-

bus

bus de iure Canonico editum, à viro docto & aliâs optimo, vtrique noſtrum notiſſimo, bonarum literarum profeſſori Regio, publicatis. Sed nihil agimus. Negat enim Apologiſta de Gallorum Regibus loqui pſeudonymum Bonarſcium; verùm de immanibus tyrannis, quales olim fuiſſe accepimus Dionyſios Syracuſis, & alibi alios. Negat? hoc verò mirum & portenti ſimile mihi videtur: virum grauem, genere vitæ Theologum, adeo ſine vllo pudore eſſe, vt quæ veriſſima ſciat eſſe, & omnium legentium oculis expoſita, negare ſuſtineat: quæ norit eſſe falſiſſima, ea affirmare non vereatur. At quid igitur ſibi vult, ô te appello quiſquis es Apologiæ huius Auctor, te appello, & conſcientiam tuam conuenio, quid (inquam) ſibi vult lemma hoc capiti illi ab Auctore præfixum? *Societas, inquit Caluiniſta, euertit Galliæ Regnum, cùm docet Pontificiam excommunicationem in Galliæ Reges eſſe validam.* Hæc eſt theſis aduerſus quam totius illius capitis diſputatio eſt inſtituta. En Galliæ Regnum: en Galliæ Reges: quorſum autem ſi de Galliæ Regibus non agitur? vbi Apologiſtæ candor? vbi ſinceritas? vbi conſcientia? Res ita habet. Scopus Bonarſcij eo

capite eſt, diſertiſſimum virum Arnaldum Aduocatum Pariſienſem retellere, & plures alios, qui ſcripſerunt, Ieſuitas contraria dogmata legibus Regni Gallici tueri ; cùm docerent illam Papatum excommunicationem Regum noſtrorum debere eſſe validam ; quæ non ſacris arcere, verùm regno ; non emendare vitam Regum, ſed tollere, niſi cedant imperio, propoſitum habet. Aduerſus hæc maiorum noſtrorum indubitata axiomata pertendit Bonarſcius, Romanum Pontificem habere poteſtatem, ſiquis legitimus, verus, certus Rex Galliarum, iure ſuo abutatur, ſubditos vexet, denique Regni formam in tyrannidis ſpeciem mutare videatur ; hunc vt poſſit, non dico Eccleſiæ communione priuare, quod olim fecit Ambroſius in Theodoſio ; nam de eo genere excommunicationis litem Arnaldus nullam mouerat : ſed deponere, deijcere, & in illius locum Regem alium inſtituere. inde iſta verba in eius Capitis contextu : *Nihil tamen Pontifex in Galliæ Regem ?* Audin' ? Regem. Et paullo poſt. *Veſtigia P. Tarquinij in Collatini lecto ſat iuſtam cauſam dederunt : nulla iuſta eſt Gallum abrogandi ?* Deinde ; *Dices neminem retro Gallorum Regem anathemate percuſſum.*

Quid

Quid apertius? quid clarius? ecquid Apologiſtam pudet? opto magis quàm ſpero. Nam qui æquiuocationis emplaſtro fraudes, mendacia, periuria tegere norunt, his frontem æream licet habere, cor inuolutum & multiplex. Notum vero iam omnibus, quam lubrica vox ſit apud doctrinæ iſtius auctores TYRANNVS: neq; iam hoc verbo aliud aptius ad *χρησφύγετα diſtinctionum & æquiuocantium præſtigias. Apologiſta igitur cum dicit, Bonarſcium non de Regibus Gallorum, ſed de tyrannis loqui; etſi manifeſtiſſimè, vt probauimus falſo loquitur: non tamen mentiri, ſed æquiuocationis beneficio vti dicendus. *Tyrannus* enim publica notione in Schola Sorbonæ & alijs antiquæ ſimplicitatis, legitimo principi opponitur, & eum ſignificat, qui imperium non ſuum, per vim aut malas artes, inuaſit. In doctrina vero Hildebrandica Tyrannus audit, quamuis legitimus Rex, qui à Pontifice fuerit excommunicatus. In hac ambiguitate ludere Apologiſtam, & ferè omnes huius doctrinæ auctores, cæci ſunt, qui non vident; Principum ſuorum hoſtes ſunt profeſſi, qui vident & negare tamen ſuſtinent. Par omninò & ſimilis Apologiſtę ingenuitas, cum ali-

* *Latebras ad ſe occulendum.*

aliquanto post negare non reformidat, eundem Bonarscium octauo capite libri primi, Guignardum designasse cum totis ingenij viribus quendam ordinis Iesuitici deprædicat, & in cœlitum refert numerum ; qui propter scripta seditiosa, (furore illorum temporum, hic quoque abreptus, cuius equidem doleo vicem ; sincerè loquor, ὃ οὐκ ὀνειδίζω τύχας) & contra Regum nostrorum iura, supplicio fuit Lutetiæ affectus. Minus miror Apologistam ingenio heic vti suo. Nam Scribanius cum illa scribebat, Ordinem amplissimum, cuius decreto supplicium illud fuerat exactum, reueritus, nomen eius quem cœlo donabat, non est ausus enuntiare. Voluisse illum, sed magno aliquo metu fuisse impeditum, declarant hæc ex illius capitis indigitamentis verba : *Tenebris ego te nunc condam amica lux : patere ; fors dabo te aliquando clarissimum sidus liberiore campo.* Iterum : *Recludam te illustris vrna clarissimi sideris fida custodia.* Apparet voluisse, & vehementissimè quidem voluisse nominare, nec ausum tamen: alio tempore constituisse nomen sideris noui effari, & quidem, sicut olim Pindarus fecit, * σὺν τόκῳ ὃ χρέος καταθεὶς, præsens silentium fœnore luculento velle

* *Et fortunam illi non exprobro.*

* *Sortem cum fœnore soluens.*

velle penſare. Metus autem cauſſam fuiſſe hanc nemo ambigit ; ne fortè ea res Societati veſtræ ante paucos tum menſes Lutetiam admiſſæ fraudi eſſet. & hoc Bonarſcium ipſum ſignificare voluiſſe, non auſim quidem pro certo affirmare, qui oraculorum interpretem non profiteor : ſuſpicor tamen ex iſtis verbis: *Tegat illa membrana dignitatis.* Et ſtatim : *Satis magnam carnificinam tenue velamentum tegit.* Quicquid huius ſit, Guignardum certè ſequens diſputatio de cauſſa ſupplicij, ita perſpicuè demonſtrat, vt ne Sol quidem meridie claro ſit clarior. Nam ſuauiludius eſt Apologiſta, cum argutatur, non ſentire auctorem illo capite de Guignardo, quia illum de quo ſentiebat, appellet *vltimum nihil amplius dolituræ domus innocuum piamentum.* Non enim poſſe nominari vltimum, qui ſolus ex illo ordine pœnas in Gallia luerit. O argutias! Iam primum iſtud falſum eſt : nam & alij ſententiam paſſi, vt Alexander Haius, qui perpetui exilij damnatus : deinde quàm nugatorium eſt, exactam verborum proprietatem ab eo ſcriptore exigere, cui nihil placet niſi nouum & inſolens? Sed iniuriam facit Bonarſcio Apologiſta, ignorans cum Iuriſconſultis ipſum eſ-

ſe ſic locutum ; qui vltimum poſſe dici non abnuunt, eum quem ſequitur nemo, etiamſi præcedat nemo. Si per grauiora tua ſtudia licet tibi, inſpice ſodes duo illa Amphitheatralia capita : non dubitabis hoc ſentire Auctorem, hoc docere: noſtros Reges, Francorum inquam Chriſtianiſſimos Reges, non minoris duntaxat excommunicationis telo peti poſſe à Papa ; verùm etiam maioris illius fulmine afflari ; quæ Principes aut mente aut viribus deſtitutos, (nam hijs ſolis metuitur id fulmen :) Regnis verè ſuis exuit, & ſubditos impia audacia armat in Chriſtos Domini, Dominos ſuos: quod ſi propter doctrinæ huius aſſertionem, legibus antiquis & pijſſimis pœnæ à quoquam fuerint exactæ ; hunc in beatorum Chriſti Martyrum, ô nouam & doctrinæ Chriſti contrariam doctrinam ! numerum eſſe referendum, pro martyre colendum. Hæc vbi cognoueris, non peto à te vt facias, quod ante paucos annos Iohannes de Roa fecit in Hiſpania ; qui Ieſuita quum eſſet, profeſſionem mutauit, & factus Auguſtinianus librum ſcripſit, *De iuribus principalibus defendendis & moderandis iuſtè.* Quem librum ait Baronius Annalium Tomo ſexto, Romæ ſe

ex-

exſpectare incredibili cupiditate, vt ſtatim publicè cremandum curet ; hoc ego à te non peto ; illud te vehementer rogo, vt de Apologiſtæ fide & ſinceritate erga Reges Chriſtianiſſimos, quid ſentire nos oporteat ipſe ſtatuas. Nam equidem inter peſtilentis alicuius doctrinæ auctorem, & eiuſdem defenſorem, quid admodum interſit, non video. Sed omittamus Amphitheatralem iſtum ſcriptorem, melioris omnis doctrinæ pus atque venenum.

Tertius ordine Cardinalis Bellarminus ſequitur : in cuius crebro repetita defenſione vellem Apologiſtam, quàm acrem ſe ſuorum ſymmyſtarũ, & nominatim huius propugnatorem oſtendit ; quod in cauſſâ iuſtâ iuſtè in eo reprehendere nemo poſſet : tam ciuem bonum & dignitatis ſecuritatiſque Regum noſtrorum, ac Principum etiam aliorum à Deo inſtitutorum ſtudioſum, probaſſet. Quod pietas, quod fides ſubditi, quod imitatio IESV, quod recens Regis noſtri cædes, exigebant ab illo, vt ſeriò faceret. Nunc quis Principum ſuorum amans, & de ſalute eorum ſollicitus, patienter ferat, eum ſine exceptione auctorem defendi & laudari, idque Pariſijs, cuius doctrinæ

ctrinæ ceu Principibus inimicæ, exitiabilis & funestæ, Ordinis amplissimi Patres nigrum theta nuper adeo præfixerunt? Quid? An illi Senatus Parisiensis inane nomen sine re videtur? & nihilne sibi metuit, qui tam manifestò Patrum amplissimorum auctoritatem aspernatur? At vir magnus est Cardinalis Bellarminus, & de Romana Ecclesia benè meritus. Non iam disputo benè an secus de Ecclesia Romana esse meritus dici queat, is cuius scripta tantum iustissimæ inuidiæ Sedi illi et Pontifici, nihil tam insolens sibi fortasse vindicanti, conflarunt. poterat certe Bellarminus & de R. E. & de vniuerso nomine Christiano mereri haut paullo melius, si ingenium quo excellit & doctrinam, pio charitatis feruore succensus, ad tollendam potius quam augendam Ecclesiæ scissuram contulisset; si quanto studio & diligentia non iam * τύφον κοσμικῆς δόξοσίας, quem Patres Ephesini Concilij olim fugiendum in Ecclesia monebant, vt & Patres Carthaginenses typhum seculi: sed Principibus terribilem Papæ omnipotentiam, & spiritum superbiæ Ecclesiæ exitiabilem, tot lucubrationibus suis acerrimè propugnauit; tantum studij & diligentiæ impendisset, vt malis

*Typhum secularis potentiæ.

Eccle-

Eccleſiæ, per aliquot iam ſecula aſſiduè gementis, & ad priſtinam diſciplinam reuocari geſtientis, aliquod pro ſua virili, remedium procuraſſet. Tunc verè magnus Bellarminus ab vniuerſi Orbis Chriſtianis audiret: tunc vnanimi concentu, Principes pariter & Principum ſubditi, laudes eius nomenque celebrarent. Nunc, quo pacto ſine perfidiæ notâ fideles Principum ſubditi laudabunt, quæ contra Regum iura, & in Principum certam pernitiem Cardin. Bellarminus ſcripſit tam multa? quæ tibi quum ſint non incognita, eorum commemoratione hoc loco ſuperſedebo. Quare deſinat, moneo, Apologiſta, pijs & prudentibus hominibus, quos ſalus & ſecuritas Regis Chriſtianiſſimi & *προστάτου Ludouici XIII. & Auguſtiſſimæ Principis, Reginæ matris, habet ſollicitos; quorum oculis mentis obuerſantur quotide, tot horrenda bella, iam inde a temporibus Hildebrandi ex hac cauſſa in Europa exorta & crudeliſſimè geſta; tot rebelliones, proditiones, cædes & parricidia noſtro ſeculo ab hoc fonte profecta; qui denique Gallici imperij maieſtatem illibatam & ſartam tectam conſeruari & ad poſteros tranſmitti cupiunt; deſinat,

* à Deo coronati.

finat, inquam, nominis Bellarminiani μορμολύκειον & inane terriculamentum obijcere. Ad populum phaleras; ad pueros hanc *μορμώ. Viri graues sunt, qui se huic doctrinæ opponunt, pietate erga Deum, fide erga suos Principes, constantia in dictis factisque, admirabiles. Hi doctrinam Gregorij VII. & Bonifacij VIII. grauissimis Edictis sæpe olim & nuper admodum à se damnatam semper exsecrantur, semper exsecrabuntur. Neque vero indignari debet Cardinalis Bellarminus, hanc in Gallia prodigiosam doctrinam improbari, reijci, exexplodi; quam constat neque fuisse hactenus vnquam in regno Francorum probatam, neq; antiquis Ecclesiæ Patribus, per longam plurium seculorum seriem, fuisse cognitam; & cum disciplina atque exemplo Domini IESV è diametro manifestissimè pugnare. At per Deum immortalem! quid illis venerat in mentem, qui sibi tibique, mi Ducæe, persuaserant, Apologiam istam, quæ tot locis Bellarmini scripta aduersus Sereniss. magnæ Britaniæ Regem tuetur, & quæ Garnettū Martyrem toties dilaudat, eidem Regi prudentissimo ratione vlla posse probari? Existimarunt illi videlicet, Regem IACOBVM, multorum aliorum

* *Mormo: infantium terriculamentum.*

rum Principum ſimilem, ſuſque deque illa habere, neque ad ipſius cognitionem libros eius argumenti peruenire. Itaque facilè eſſe Maieſtati illius perſuadere quicquid luberet. Qui ſi Regem noſſent, tantæ temeritatis nunquam ſeſe obligaſſent. Nihil enim illum fugit eorum, quæ à veſtris hominibus aut quibuſuis alijs de hac Pontificis temporali poteſtate ſcriptitantur; adeóque Maieſtatem eius nihil iſtorum latere patiuntur ſui miniſtri, quos habet vbique fidiſſimos; vt hanc ipſam Apologiam ante plures menſes, vix dum abſoluta eius in Gallijs editione, & nactus ſit, & percurrerit, ſi quam fortè ingenuæ mentis & ſinceræ notam obſeruaret; ac mox cognito libri genio, cum hoc elogio reiecerit; *Qui hoſtes meos defendunt*, inquiens, *hoſtes mei ſunt. Qui proditionis manifeſtæ compertos, ac voluntate ſaltem parricidas laudant & Martyres faciunt, pro communibus omnium Principum proditoribus & parricidis haberi digni ſunt.* Rectè ſanè hoc & prudenter, vt omnia, Rex maximus: nam quid aliud de eo libro maieſtatem ipſius par erat iudicare, cuis pars magna Bellarminum hoſtem ipſius manifeſtum, & nouos cœlites Garnettum atque Oldcornum tuetur & beatos prædicat?

Ac

Ac de Bellarmino quidem, plura nunc non addemus; qui suum illum librum contra Barclaium, à Barclai filio memoriæ & doctrinæ Patris strenuo vindice, & à pluribus alijs, videbit breui soricina nænia confossiorem redditum. Porrò pergamus. Cardinalem Cardinalis excipit, Bellarminum Toletus; Societatis quidem eiusdem, at mentis, vt verè affirmare posse videor, non eiusdem. Multa enim Toletus scripta edidit, multos in sacras literas eximios Commentarios conscripsit; in quibus nullum, quod sciam, doctrinæ Hildebrandicæ vestigium, nisi fortè leuiter impressum, apparet. Memini cùm ante annos viginti & quod excurrit, Toleti in Euangelium Iohannis Commentarij ad Theodori Bezæ manus primum peruenissent; qui tum fortè eundem diuinum Euangelistam in publicis lectionibus exponebat; virum illum, vt erat doctissimus pariter & doctorum candidissimus æstimator, impensè Toleti illud opus mihi in priuato colloquio laudasse. & merito. Nam in eius scriptis quæ legi, cum excellente rerum philosophicarum & Theologicarum notitia, par certat modestia; quæ iudicio meo tum in alio quouis scriptore, tum in Theologo potissi-

tissimum, laus est vel præcipua. Ac licet non negauerim Toletum in ornando Romano Pontifice admodũ liberaliter aliquando agere: noua tamen portenta sententiarum, qualia Bellarminus è fœcundo suo pectore multa promsit, apud illum non inuenies. Nihil dicam de libro contra Barclaium, qui quantus quantus est totus est, non * τεράστιος, verùm τέρας & portentum noui generis: sed vel vnicus Recognitionum pusillus libellus, in quo Bellarminus * κρείττων αὐτὸς αὐτοῦ scilicet γενόμενος, scripta sua recensuit, quàm fœtus est nouarum & mirabilium sententiarum? Vnam aut alteram exempli gratia afferam. *Pasce oues meas*, hoc est, ait Bellarminus, *regio more impera*. Et hæ sunt Cardinalis Illustrissimi * δευτέραι φροντίδες, quibus nihil melius ab eo possumus exspectare. Tale & illud: *Paulus de iure Cæsari subiectus non fuit, nec ad eum appellauit tanquam ad superiorem suum*. Item istud ex eodem libello. *Pontifex olim de iure Imperatori subiectus non fuit*. Et id genus alia multa ad Romani Pontificis in terris degentis * ἀποθέωσιν nouo audaciæ exemplo excogitata: quæ aliquis fortasse credat Iudæus Apella: at nemo credet gnarus veteris fidei, veteris disciplinæ & historiæ. Dolebunt

* *Sese ipsum superans.*

* *Secundæ curæ.*

* *Deificationem.*

potius veri Christiani omnium nouitatum aspernatores, per istiusmodi nouas inuentiunculas ad priscam fidem abolendam, Deus omen auertat, viam muniri. Enimuero Cardinalis Toletus etsi eruditissimus, & Bellarmino vti dicebamus longe moderatior, homo tamen erat, & falsas opiniones cum suscipere ipse, tum alijs tradere poterat: quum præsertim in ea ciuitate & inter eos versaretur, qui dissentientes à se in ijs maximè capitibus, quæ ad potentiam Pontificis amplificandam faciunt, haut facilè, sicut accepi essent laturi. Quæ igitur ex illo afferri solent, de vi maioris excommunicationis in tollenda Principibus iurisdictionis exercendæ facultate; quæ item de vsu æquiuocationis & retentione mentali, ea quocunq; tandem auctore prodantur, explodenda, & cum detestatione Christianis omnibus censeo despuenda: & eo quidem vehementius, quò maiore probitatis opinione fuerit, qui illa docet. Quare Toletum nos quidem hic non defendimus: quod solito candore facere Apologista conatur: miramur magis, virum aliàs probum, adeo abominandis dogmatis & nomen suum & scripta maculasse. Nam & Iesuitas nominare possum, quibus

bus illa perfidiæ magiſtra æquiuocatio, humanæ ſocietati perdendæ inuenta, non probatur, vt quidem in ea diſputatione Toleti explicatur. Sed non ſine cauſſa dubitare hîc animaduerti viros graues ; fueritne illa verè Toleti ſententia, quę hodiè in illius Inſtructione, ſiue Summa Caſuum, legitur. Liber enim ille poſt mortem demum auctoris, niſi fallor, eſt editus : & quidem ſine vlla præfatione, quæ fidem faceret omnia eſſe Toleti genuina. Tum autem editiones illius circumferuntur ita variæ, & inuicem diſcrepantes, vt ſuſpicio ſit multa *γνησίοις adiecta eſſe, quæ auctor fortaſſe ſi viueret, obolo transfoderet : atque inter illa hæc duo forſitan loca fuerunt ; de quo tamen nihil affirmamus. Sane etiam in Maldonati Ieſuitæ ſcriptis, quæ poſtquam ipſe diem clauſit ſupremum, ſunt edita, nonnulla, auctoritate quadam cenſoria, fuiſſe mutata & temporis præſentis opinionibus accommodata, audiui qui affirmarent, viros fide dignos. Tranſit deinde ad Marianam Apologiſta; cuius Inſtitutionem Principum occidendorum (ſic iure appello eam Marianæ diſputationem ;) cùm damnat, facit quod virum probum decet. Sed an ſeriò damnat* ἐξ ἄκρας μυ-

* *Genuinis.*

* *Ex intima medulla animi.*

ελοῦ ψυχῆς, vt ait Euripides, an extremis labijs, & cum aliqua ſubtilitate? non abs re dubito. Video enim non eſſe vêſtræ Societatis hunc morem, vt quod alij laudant, alij vituperent. Marianam autem partim apertè laudant, partim hanc ipſam illius diſputationem defendunt, P. Ribadeneira, Scribanius, qui ſe mentitur Bonarſcium, Gretſerus, Martinus Becanus, & plures fortaſſe alij, quos non vidi. Cur hoc vehementer magis magiſque indies ſuſpicer, accipe. Allatus eſt non ita pridem ad Sereniſſimum Regem liber Anglicus, hîc deprehenſus, neſcio vnde è regionibus tranſmarinis in hanc Inſulam ad eos miſſus, qui Romano Pontifici adhærent. Suſpicari licet ex Epiſtola auctoris, ſcriptum eſſe librum in Italia; quem etiam ibidem fuiſſe editum nonnulla ſuadent; non minimè autem illa verba, PERMISSV SVPERIORVM, quæ imâ paginâ primâ habentur. Eius libelli duæ partes ſunt. Prior epiſtolam continet P. Cotonis declaratoriam ad Reginam in ſermonem Anglicum verſam: poſterior diſſertationem aduerſus eos, qui poſt Henrici Magni cædem accuſare doctrinam veſtram ſunt aggreſſi. In hac parte, vbi primò doctrinam de occidendis

Prin-

Principibus ordini veſtro non probari teſtatus eſt : vbi etiam multa narrauit (ſed ficta omnia & falſa) de præmijs à Ludouico XIII. Rege Chriſtianiſſimo, & auguſtiſſima Regina in vos collatis, penſandæ iniuriæ quam ab oſoribus veſtris accepiſtis; mox ad Marianæ ſeriam defenſionem Anonymus ille ſcriptor ſe accingit : præfatus, propterea id à ſe fieri, quia P. Coton in Epiſtola ſua, ſiue modeſtiæ, ſiue breuitatis cauſſa, vel potius tempori ſeruiens, Marianam reliquerit indefenſum ; velle itaq; ſe quod Epiſtolæ illi deeſt ſupplere ; & operâ eâdem cum Ieſuitas, tum Eccleſiam Catholicam à ſuſpicione prauæ doctrinæ liberare. Affirmat igitur, Marianam tota illa diſputatione non de Regibus loqui, ſed de tyrannis : quod diabolicum eſſe mendacium affirmamus nos : nam de Henrico III. Rege legitimo, non de aliquo inuaſore Mariana loquitur ; tum addit, tractari eo loci quæſtionem à plurimis agitatam : quos omnes quum moderatione ſuperauerit Mariana, non auſus liquidò affirmare, quod alij certò definiunt : ſatis ex eo poſſe intelligi, illos qui Marianæ librum eiuſmodi doctrinæ obtentu Lutetiæ condemnarunt, non Marianam ſed Ieſuitas,

immo non Ieſuitas, ſed ipſum IESV Chriſti ſanctiſſimum nomen, ô blaſphemum os! odiſſe. Ipſa Auctoris verba hîc ſubijciam; vt per eos qui iſthic Anglicè norunt intelligas nihil me comminiſci: They are enemies of that holy name of IESVS, that condemned Mariana for any ſuch doctrine. Hoc eſt ad verbum: *Illi ſunt inimici ſanctè nominis Ieſu, qui condemnarunt Marianam propter talem doctrinam.* En tibi, mi Fronto, vnius Ieſuitæ, aut è magnis Ieſuitarum patronis vnius, ſed non ſolius, iudicium de prudentiſſimis Senatus Pariſienſis Patribus, qui illam Inſtitutionem Marianæ vltricibus flammis meritiſſimè addixerunt. Quod ſi huic ſcriptori fidem habemus, ne P. quidem Coton aliter ſentiebat, quando Epiſtolam illam ad Reginam matrem ſcribebat: ſed animum diſſimulans, Phocylidæ præceptum vſurpabat, *Καιρῷ λατρεύειν μὴδὲ ἀνέμοισι. Ego malo credere magnam iſtum terræ filium, P. Cottoni iniuriam facere: vides tamen, mi Fronto, quàm longè abſint ab eo multi hodie, vt Marianæ illam diriſſimam diatribam deteſtentur. Et quare, obſecro, parricidarum magiſtrum exſecrarentur, quibus parricidia placent, parricidæ lau-

*Tempori ſeruire, neq; ventis reſiſtere.

laudantur, & beatitudine martyrum digni cenſentur ? Planè eiuſdem hominis eſt, Marianæ probare iudicium, & proditores ac parricidas conſecratione dignos iudicare. Nam Sixti V. orationem, vt puto, non ignoras circumferri vere an falſò, in Conſiſtorio Romano poſt Henrici III. cædem habitam. Neque te fugit Romanorum Cenſorum iudicium, qui alia quędam Marianæ ſcripta nuper notarunt, iſtud non notarunt, in quam partem à rerum peritis ſit acceptum. Nam in hac re, ſi vnquam in aliâ, iure licet de illis Ariſtarchis regulam Iuris ciuilis vſurpare: *Qui tacet conſentire videtur.* Excuſat tamen illos Apologiſta alicubi, & nihil pronunciatum Romę aduerſus parricidialem Marianæ Inſtructionem ait, proptera quod nemo fuerit, qui eo nomine auctorem deferret & accuſaret. Mirum verò, quum de Marianæ libris inſtituta ſemel eſſet cognitio, nemini Cenſorum illorum veniſſe in mentem huius diſputationis, illâ quam notabant millies, imo * μυριάκις millies pernitioſioris. At latebat eos liber ille Marianæ. Hoc verò quis credat ? quis non videat dictu eſſe ridiculum ? niſi quod, alijs vtuntur oculis cum res Papæ agitur, alijs cum res Principum : in illis

* *decies millies.*

illis Argo oculatiores sunt ; in his talpa cæciores. Marianæ igitur disputationem, quæ lectores ad Principum suorum parricidia instituebat, non viderunt : sanctissimum Senatus Parisiensis decretum contra parricidam Castellum, quia in eo pauca verba erant Papæ ingrata, viderunt, & æternùm detestando exemplo, Censuræ suæ illud subijcere non dubitarunt :* ὁδηγοὶ τυφλοὶ, οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὸν δὲ κάμηλον καταπίνοντες. Sed neglectis rationibus omnibus, quæ suadere contrarium valerent, agamus cum Apologista benignè, & credamus ipsum verè * ἀπὸ εἰλικρινείας, sine fuco & fallacijs, simplicitate Gallica, non leuem aliquem hiantis & malè parati calami errorem in Mariana damnare; sed totam illam eius dissertationem detestari, sicut locis aliquot profitetur : adhuc tamen hæret in luto ; nec quî se expediat honestam satis rationem video. Nam quare aliorum caussam tuetur, qui aduersus Protestantes Germanos Marianam magno studio defenderunt ? Ego non capio quomodo possit Apologistæ constare facti ratio ; cùm defendi alijs probat eum scriptorem, quem ipse non semel grauissimis verbis detestari se ostendit. Iam quod in illo ser-

* *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem deglutientes.* Mat. 23. 24.

* *Sincero animo.*

sermone pronuntiat, libros alios reperiri de quibus omnes sileant, millies Mariana periculosiores: quos libros intelligat, aut quorum accuset silentium, multi, opinor, iuxta mecum ignorabunt. quibus autem periculosiores? non sanè Principibus; quorum maiestas minuitur, dominatio destruitur, vita petitur, per Marianæ doctrinam. De animarum fortasse periculo dicet se locutum & hæresi; sed de eo nunc quæstio ~~non est~~: neque verò si id ageretur, difficile esset quà rationibus, quà Patrum testimonijs probare, pestilentissimam hæresin esse doctrinam Hildebrandicam. Fallor verò aut non defuturi sunt, qui ex illis Apologistæ verbis coniecturam faciant, necdum satis intelligere eum magnitudinem criminis à Mariana admissi; quando parricidam Henrici III. Regis Christianissimi, non secus ac * διογενῆ aliquem Heroem, laudibus in cœlum tulit, & alios vt similia susciperent parricidia diligenter instituit. Vide verò ingenium hominis & candorem. Wecheli heredes grauissimè accusat, quorum sumptibus posteriorem Marianæ editionem curatam dicit: eos non accusat Iesuitas, qui Wecheli heredibus eius consilij fuerunt auctores; qui Moguntiæ

* *Ioue natũ.*

Typographo Baltazari Lippio potestatem imprimendi fecerunt ; qui singula folia cùm ederentur videre potuerunt, & silentio saltem suo factum probarunt. At quæ hæc est iniquitas ? quæ * προσωπολημψία ? aut quid est nocentem absoluere, innocentem premere, si hoc non est ? Wecheli heredes mercatores sunt, neque literarum vllam peritiam profitentur : & Francofurdi ad Mœnum degunt. Significatum illis est à Iesuita non vulgaris existimationis, allatum esse ex Hispania Marianæ librum, semel iam Toleti editum cum approbatione superiorum Societatis Iesuiticæ, & Regis Catholici priuilegio : eum noua lima perpolitum bono publico in Germania editum iri. ab illis nihil amplius petitum, nisi vt sumptus facerent: de cætero ne solliciti essent: Moguntiæ enim curâ Patrum S. I. librum iri editum. Ita dictum, ita factum est. * ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον. Wecheliani pecunias, vt quidem iste ait, dederunt : cætera omnia Iesuitæ administrarunt, idque Moguntiæ : vbi Wecheli heredes, aut quosuis alios Protestantium gratia multum pollere, audiui hactenus nunquam. At Iesuitæ quid ibi possint, & Patres Archiepiscopalis Collegij, Christianus orbis iam nouit.

* *Acceptio personarum.*

* *Simul factum, simul dictum.*

uit. Et non pudebit Apologistam eius editionis culpam omnem in Wecheli heredes transferre? non pudebit palàm, vt Poeta ait, *ἀναίτιον αἰπάασθαι? Parricidam Henrici IV. lectione Marianæ ad scelus concipiendum fuisse stimulatum, alios affirmare scio, alios negare. Literarum nullam eum habuisse cognitionem à pluribus accepi: quare concedamus Apologistæ quod scribit; nihil parricidæ illi cum Mariana fuisse commercij. Sed quod addit idem auctor Apologiæ; non solùm falsum fuisse eum rumorem; verum etiam quodammodo esse optandum, vt ille Alastor Marianam legisset: nos eius voti gratiam illi facimus, & mecum, scio, omnes subditi fideles. Est enim falsissimum, eos, qui cædes Principum suorum cogitant lectione Marianæ vllo pacto ad mutandum propositum posse adduci. Nam quid inuenient quod eò ducat? Videbunt Theologum è Societate IESV certo consilio hanc quæstionem tractare, *An liceat Regem legitimum puta Henricum III. Regem Galliarum Christianissimum, postquam à paucis seditiosis, sed doctis* (nam his arbitrium permittit Mariana, vt de capite Principis sui statuant) *cœperit Tyrannus appellari, occidere?* Videbunt

* *Insontem accusare.*

concludi ad extremum, licere ; videbunt infandam Satanæ progeniem, fraterculum Iacobum Clementem, ob patratum parricidium magnificis verbis in cœlum tolli. Hæc scilicet prodigium hominis, Rauaillacum dico, adduxissent, vt scelus detestaretur. Velim igitur doceat me Apologista, quibus verbis Marianæ vtendum fuerit, quibus argumentis, vt scopum assequeretur suum ; & subditis persuaderet, pium esse facinus Regem suum cùm opus foret occidere. Admirantur Græcorum Critici maximum poetarum, qui Agamemnonem inducit suis reditum in patriam suadentem oratione quadam miro artificio figurata & verbis, si accipias simpliciter, planè contrarium suadentibus. An existimat Apologista Marianam eodem artificio in illa disputatione vsum ? hæc quidem mira philosophia est, paucis nota : cuius si Ordinis amplissimi Patribus venisset in mentem, in Marianæ sacerrimum librum, nunquam, credo, adeo seuerè animaduertissent. At ne sîrit Deus immortalis, Deus per quem regnant Reges ne sîrit, vt qui malo erga Principes suos animo sunt, (ecquis autem Principum tam felix, aduersus quem nemo subditorum malè

sit

sit animatus?) in Marianæ librum incidant, & eum similemue alium scriptorem in consilium adhibeant.

Emanuelem Sa defendit post hæc Apologista: in quo miseret me hominis frustra laborantis; vt qui * ὁδοῦ παρούσης ἄτραπον ζητεῖ. Vera defensio erat vnica & sola hæc; vt fateretur Auctor, multa Emanuelem si minus animo malo, certè per imprudentiam scripsisse, & suis illis Aphorismis inseruisse, Principibus nimis periculosa, & proinde bonis omnibus detestanda: verum ista in postremis editionibus Lutetiæ fuisse sublata. Huiusmodi oratio & speciem aliquam ingenui candoris præ se fertet, & spem nonnullam lectoribus relinqueret, posse olim fortasse, etiam aliorum è vestra disciplina hominum similes sententias emendari à vobis, aut tolli. Nunc fatetur quidem Apologista, esse nonnulla sublata ex illis Aphorismis; sed errasse tamen Auctorem cùm illa scriberet; hoc verò negat & pernegat. Quidni autem? aquam è pumice citius expresseris, & Herculi clauam priùs extorseris, quàm ex ore Apologistæ erroris alicuius confessionem elicias, quoties de Iesuitarum aliquo agitur. Nam in fide quidem Iesuitam er-

* *Quum pateat via, semitam quærat.*

rare non posse, atque adeo esse hoc vnicum * τῶν ἀδυνάτων, cæteris, quæ solent à Poetis plurima commemorari, posthac adnumerandum, si nescis, mi Fronto, & puto nescire, docebo te, ab Apologista doctus, hoc ipsum disertis verbis affirmante. Sic ille capite tertio, eius exemplaris quod ad Serenissimum Regem fuit missum paginâ CXIX. *Iunguntur in vnum*, ait, *dies cum nocte, tenebræ cum luce, calidum cum frigido, sanitas cum morbo, vita cum morte: & erit tum spes aliqua posse in caput Iesuitæ hæresi cadere.* Magnum hoc, Deus bone! & singulare Societatis vestræ priuilegium. Loiola nimirum Auctor vester, suis omnibus, vt iam disco, præstat beneficium, quod Iesvs Christus * ὁ Θελήσας & ipsa bonitas, singulis Christianis absolutè nunquam promisit. Enimuerò Apologistę parum est visum, si tantum Societati vestrę tribueret, quantum Patribus in Concilio congregatis, & vt Scholastici loquuntur, repræsentatiuæ Christi Ecclesiæ, tribui vulgo solet; nisi etiam singulis Iesuitis * αὐταρχικὸν τῆς πίστεως largiretur; quod peculiare Papæ, & quidem in Petri sella sedentis, (nam alioqui & Papas errare in fide, docuerunt satis Marcellinus, Liberius, Felix, Honorius primus, Iohannes

* *eorum quæ fieri nequeunt.*

* *Deus & homo.*

* *facultatem vt non possint errare circa fidem.*

hannes duo, XXII. & XXIII. atq; alij:) priuilegium esse, hactenus audiebamus. In quo an Summum Pontificem Paulum V. σύμψηφον & consentientem sit habiturus, non est meum quærere; ipse viderit. Gratulor interim Apologistæ, quod tam inusitatæ insolentiæ dictum ei non exciderit, sedente Romæ aliquo Sixto Quinto: qui si iam viueret, doceret illum (nisi falsa sunt quæ de eius animo erga Ordinis vestri Patres narrantur:) Petri Successor, Petri Apostoli verbis, * τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθαι, ὅτι ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν: doceret ipsum, * ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ assiduè cogitare; *Euenire cuique posse quod cuiquam potest.*

Τοῖος γὰρ ἀνθρώποισι θυμὸς Γλαῦκε Λεπτίνεω παῖ,
Θνητοῖς ὁποίην Θεὸς ἐφ' ἡμέρην ἄγει.

Mens Glauce talis suppetit mortalibus,
Qualem benignus suggerit in dies Deus.

Sed nihil humilis, nihil mediocris spirat hic Scriptor; qui etiam alio Apologiæ istius loco, vocem docti viri, & magni poetæ laudat huiusmodi; *Imperium literarum est penes Iesuitas.* Scire, credo, voluit Apologista, celeberrimæ Academiæ Parisiensis eruditissimos professores, & inclytam Sorbonam, omnesque adeo qui literas

* *Humilitatem induere, quia Deus superbis resistit, humiliautem dat gratiam.* 1. Pet. 5. 5.

* *Initimore & tremore.* 1. Cor. 2. 3.

ras vbique colunt, qua iam conditione viuerent, ſub quorum imperio militarent,& quos Imperatores colere, ipſi manipulares aut gregales,deberent. Nimis hoc quidem profectò candidè; at quàm prudenter, hoc rerum ſtatu, idque Lutetiæ, haut ſcio; illud ſcio, in ipſa Lutetia, ne alia loca commemorem, viros extare doctrina & dignitatibus præſtantes, qui hanc adeo ambitioſam iactationem, & ridiculum non minùs quàm ſuperbum, *φρύαγμα μεγαλαυχήματος, ſibilo ſint excepturi; quique imperare ſe Ieſuitis non Ieſuitas ſibi, æquum eſſe ſint dicturi. Verum è diuerticulo in viam. Quæro ex te, eruditiſſime Fronto, nihilne Sa peccauerit, cùm hæc ſcriberet, hæc Confeſſarios doceret. *Clerici rebellio in Regem non eſt crimen læſæ Maieſtatis, quia non eſt Principi ſubditus.* Nihil ne etiam cum iſta. *Tyrannicè gubernans iuſtè acquiſitum dominium, non poteſt ſpoliari ſine publico iudicio : lata vero ſententia poteſt quiſq; fieri executor. Poteſt autem a populo, etiam qui iurauit ei obedientiam, ſi monitus non vult corrigi.* Nimis ſcire velim tuum ſuper hijs iudicium. Nam equidem cùm è nuperis Pariſienſium typographorum editionibus iſta animaduerterem eſſe ſublata, putabam inter vos conſtare,

*ingentis arrogantiæ fremitum perſtrepentem.

conſtare, nequiter ea ac pernitiosè dici ſcribique. Sed erraſſe me ex Apologia hac didici: cuius Auctor in Aphoriſmis Sa nullum obſeruat vitium; niſi quod homines quidam infirmi, ait, malè eius verba interpretabantur. Quinam autem, obſecro, iſti ſunt infirmi & *ὀλιγόπιστοι? ij nimirum, qui in doctrinâ Hildebrandica nondum ſatis magnos progreſſus fecerunt; qui tenerioris adhuc frontis ſunt, quàm vt palàm profiteri audeant, Regem ſuum alij neſcio cui Regi ſubditum eſſe, in temporalibus pariter ac ſpiritualibus, ius in illum habenti vitæ & necis: qui inducere in animum nondum poſſunt, rebellionem in legitimum Principem à Clerico profectam, læſæ Maieſtatis crimen dici non debere. Iſti procul dubio ſunt, quorum imbecillitati & tenellæ adhuc conſcientiæ à correctoribus Pariſienſibus eſt conſultum; ſceleratis quibuſdam Aphoriſmis è conſpectu eorum ad tempus ſublatis, qui, propter infirmitatem ſcientiæ & conſcientiæ ſuæ, ſine graui ſcandalo legere eos non poterant. Planè vt in Eleuſinijs olim ſacris & alijs opertaneis, non ſtatim ad arcanorum omnium notitiam tirones admittebantur; ſed per grãdus & longa temporum interualla, epop-

* *exiguæ fidei.*

tæ ad percipienda * τὰ ἄῤῥητα μυήματα, & ſanctiora ſacrorum accedebant: ita doctrina Hildebrandica temporibus eſt diuiſa, neque * ἀθρόως & ſemel tota ſolet tradi; tempore ſiquidem opus eſt, vt ingenitam omnium etiam paganorum animis opinionem de reuerentia & fide Principibus debita, etiam dyſcolis, etiam perſecutoribus, homines Chriſtiani paullatim deponant: vt regnum Chriſti non eſſe huius mundi regnum (quod Chriſtus ipſe dixit) dediſcant: & contra, regnum Vicarij Chriſti regnum eſſe huius mundi, atque adeo mundum vniuerſum complecti, (quod Papæ multi dixerunt, & hodie plurimi acerrime defendunt) diſcant ſibique perſuadeant: vt *Paſce oues meas*, doceantur eſſe, *Regio more impera*: vt Clericos omni Principum iuriſdictione, in quorum terris nati ſunt & degunt, eſſe penitus exemptos credant; atque hanc eſſe veram Libertatem Eccleſiaſticam, vt omnes ſiue priuati ſiue Principes, ſoli Papæ & eius miniſtris humilem ſeruitutem ſeruiant. Hæc theoremata & ſimilia hijs quæ tanta contentione Romæ à Bellarmino, & paſſim vbique locorum à Bellarmini conſecraneis, Hildebrandici dogmatis aſſertoribus, pro fidei Catholicæ

* *Symbola quæ enuntiare nefas.*

* *ſimul.*

tholicæ articulis, proh dolor ! obtruduntur; ſunt illa * μικρὰ μυςήρια quibus longo tempore initiari eum oportet, qui ſit futurus * οἰκεῖος ἀκροατής capiendo magno arcano de Romani Pontificis omnipetentiâ in Regibus deponendis & regnis auferendis, atque ad alios ex vtilitate Eccleſiæ, hoc eſt, Papæ voluntate, transferendis. Apologiſta verò cùm Sa excuſat, & ait, eum, quando negat Clericos rebellione crimen læſæ Maieſtatis incurrere, non id agere, vt Clericorum crimen hoc pacto minuat; ſed contra potius, vt multò id reddat atrocius; ſerióne loquitur, an ludit? Ludit certè, & ſimplicitati lectorum illudit. At tu mone illum ſodes, quærat Marrucinos, fatuos, ſtultos, & * παῦρος καὶ φρένας ἐκπεποταμένους, quibus tam lepidum commentum narret. Sereniſſimus Rex huius ſermonis fraudulentam vanitatem & intelligit, & eius auctorem deteſtatur. Ecquis verò puer fraudem non deprehendat, qui modò non ignorauerit, quid in veſtrorum ſcriptorum libris hodie Libertas Eccleſiaſtica nuncupetur, & quam vim habere illam Hildebrandicæ diſciplinæ doctores contendant? Sciat Apologiſta, non ignorare ſapientiſſimum Regem, quid de exemptioni-

* *parua myſteria.*
* *idoneum auditor.*

* *Deliros, è quorum capitibus mens auolarit. Theocr.*

bus Clericorum Cardinalis Bellarminus, quid de vi mirifica libertatis Ecclesiasticæ, cùm alij aliâs sæpè, tum nuper in controuersia Ser. Reipub. Venetæ cum Pontifice Maximo, Iohannes Antonius Bouius Carmelita & plurimi alij Romæ, in oculis ipsius Papæ, scripserint & docuerint. Sciat non latere Regem, ausum esse Marianam in illius ipsius operis de quo ante diximus, lib. I. cap. X. hoc præceptum Regi Catholico dare. *Neminem*, inquit, *ex sacrato ordine supplicio* QVAMVIS MERITO *subijcito*. Est & illud friuolum ac ludicrum, quod pro magno tamen ab Apologista iactatur: verba quæ supra retulimus, ex Aphorismis Sa fuisse detracta. Nam hoc simpliciter ita dictum, nego esse verum, immo falsissimum esse pertendo. Extant enim hodieque illa omnia in Editionibus Antuerpiæ & Coloniæ curatis. Quod autem in ijs quę Lutetia à paucis annis prodierunt, non compareant, quis fraudem non suspectet? aut quis tam* βλὴς *& fungus, quin intelligat, causam, cur illa Parisijs omitterentur, quum alibi retinerentur, fuisse aliam nullam, nisi hanc; quod Henrico Magno regni habenas tractante, exitialis hæc Principibus doctrina non tam liberè ab eius assertoribus

**fatue simplex.*

Luteciæ

Lutetiæ docebatur atque fit alibi? Sunt qui dicant, etiam Roma prodijſſe eorundem Aphoriſmorum quandam editionem, locis aliquot emendatam. Verum id quoque iure merito cordatis fit ſuſpectum. Nam quare Romani in Aphoriſmis Emanuelis quicquam mutarent eiuſmodi, qui dies noctesque id agunt, vt ea dogmata probent eſſe Catholicæ fidei vel præcipuum caput? certè tanti momenti articulum, vt qui aliter ſentiat Chriſtianus eſſe nequeat. Proferatur vel Papæ vel Ariſtarchorum Romanorum ſententia, aduerſus hanc illorum Aphoriſmorum doctrinam, palàm & quanta par eſt ſeueritate pronunciata. Tunc credere incipiemus, bona fide, non ad fucum faciendum, fuiſſe illa ſublata. Tunc viri pij, qui pro Eccleſiæ pace & concordia Deo Opt. Max. preces cum gemitu & ſuſpirijs aſſidue fundunt, mutare ſententiam incipient, & credere deſinent, quod ferè iam ipſis eſt perſuaſum; fruſtra aliquid moderationis ab illa ciuitate exſpectari, in qua Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, & tot alij minorum gentium ſcriptores, iuſſu Pontificis, vt multi exiſtimant; aut permiſſu ſaltem; quod negari non poteſt; iura Principum & Regum Maieſtatem * γυμνῇ κεφα-

* nudo capite.

κεφαλῇ, quod aiunt, nouis quotidie paradoxis ceu machinis quibusdam & tormentis bellicis oppugnant & funditus nituntur euertere.

Venimus ad Andream Eudæmonoiohannem Cydonium è Creta. Simul ad res Anglicas in quarum mentione fidem illius Apologista sequitur, deuenimus. Ergo de rebus magnæ Britanniæ, quarum præcipuè gratia, occasione è literis tuis nata, vt initio dixi, hæc mihi scriptio est instituta, si lubet mi Ducæe, paucis agamus. Quanquam quid opus iam de istis? aut quid de illis dici potest, quod non dictum sit prius, & sæpe repetitum? Cui autem bono toties eadem? Video enim certum hoc esse fixumque, non dicam huic Apologistæ, aut germano Cretensi Andreæ, sed omnibus omninò partium vestrarum scriptoribus; vt rerum quæ hîc contigerunt veritatem ægrè admittere ad aures velint: cognitam verò vt palam agnoscant & fateantur, nullo pacto posse adigi. Placet veras narrationes animis obfirmatis repudiare; placet falsas fictasque consectari: mentiri denique, sine vllo existimationis saltem suæ respectu, aut mentientibus assentiri, placet ac lubet. Deum immortalem! quis vestros homines * ἐνέκοψε τῇ ἀληθείᾳ

* *Impediuit veritati ne*

θείᾳ μὴ πείθεσθαι? aut quis illos fascinauit, vt prudentes scientes veritati, vinci ad extremum nesciæ, filiæ Solis, Naturæ sorori, vt est apud Tertullianum, tanta pertinacia cornua obuertant? Est pretium operæ hominum eiusmodi spectare iniquitatem & amentiam. Nam cùm de rebus Moschorum Moschis non inuiti omnes credamus, Turcis de rebus Turcorum, Iaponibus de rebus Iaponum; neq; vlla tam Barbara gens est aut fera, cui propriam suarum rerum historiam narranti, non plus fidei simus habituri, quàm cuiuis alij extero & alienigenæ; de rebus tamen Anglorum isti veris Anglis fidem omnem abrogant; alijs credunt nescio quibus, longè remotis, odio & maleuolentia corruptis, postremò Græcis & quidem Cretensibus. Iam quum sit scriptum, *in ore duorum aut trium stabit omne verbum*, istis nulla copia testium, nulla dignitas personarum, non priuata scripta, non publica Acta; ac ne ipsa quidem Regis optimi, quo veritatem nemo pluris æstimat, quo nemo illi magis deuotus; tamen ne hic quidem efficere potuit, vt redire ad sese, pudori suo consulere & desinere falsa comminisci aut probare, propterea velint. Quid agas? stat sententia

fidem haberent.

Matt. 18. 16

tia adamante fixa: in eos qui de religione non eadem per omnia sentiunt, conuitia & maledicta oportet congerere: hoc pietatis officium; hæc laude digna & officiosa sunt mendacia: si tamen dicenda mendacia. Nam Pontifex, qui, docente Bellarmino, potest efficere ne peccatum sit peccatum, ne Cæsar sit Cęsar, cur non id quoque efficiat, ne mendacium sit mendacium? Et hoc scilicet est Dominum Iesum, qui audit ipsa veritas, cui nihil falsum potest placere, imitari: & quidem non cæterorum hominum Christianorum more, sed peculiari instituto, & religione sanctiore: id agere, id totis ingenij viribus contendere, vt veritas, veritas, inquam, certa, explorata, omnibus nota, de qua vel dubitare insania sit, cui se opponere furor est, artificio narrandi, constantiâ in mentiendo, & consensu mentientium obscuretur, ac de memoria hominum, si pote, tandem funditus deleatur. Nam quid aliud illi volunt, qui Elisabetham glorioſiſſimæ memoriæ Principem, & dum vixit Deo chariſſimam, Reginam prætensam, (Barbarorum enim hominum hæ sunt elegantiæ) crudelem, immitem, cruoris auidam, Christiani nominis hostem acerrimam & persecutricem,

cem, Lupam denique Anglicanam, paſſim hodie appellant, & vt talis fuiſſe ab omnibus credatur, quantum ingenij viribus valent, annituntur? Texuntur multis paginis, ſed magna ex parte vacuis, eorum catalogi, qui toto regni eius tempore, quod longiſſimum fuit, vel ob proditionem, vel ob nefas aliud legibus regni vetitum, ſupplicio ſunt affecti: deinde iſtud eſſe Anglicanum martyrologium miſeris populis, & rei veritatem ignorantibus, perſuadetur. Quinetiam, ad conflandam Eliſabethæ maiorem inuidiam, ſimplici narrationi pictura eſt adiecta; hoc eſt mendacia mendacijs ſunt cumulata, ſcelera ſceleribus, portenta portentis. Videre eſt in eorum libris de perſecutione Anglicana, Catholicorum alios ferarum pellibus inſutos à rabidis canibus dilaniari; alios ad equorum præſepia alligatos fæno ibi paſcendos. Cernas alibi glires peluibus incluſos Catholicorum viſcera exedentes. Omitto alias ſuppliciorum diras & horribiles ſpecies, in cerebris fingentium pingentiumque impiè & ſceleſtè natas, neque in hoc regno viſas vnquam aut videndas. Dicas cùm ſcripta iſtorum legas, quamdiu μακρεῖνε Eliſabetha regnauit, vicos vrbium

Anglicarum sanguine Catholicorum inter dira tormenta effuso semper maduisse. Adeo, ne ad tentandam quidem inter membra Ecclesiæ Dei concordiam, locum relinqui vllum voluerunt, neque spem vllam bonis superesse. Enimuerò non semel aut iterum, sed sæpissimè, idque à viris optimis responsum est; mitissimæ Reginæ & omnibus pijs voluptatem nullam, verùm contra dolorem longè grauissimum, mortes Catholicorum Pontificiorum solitas afferre: cæterùm omnia illa supplicia, de quibus tantæ tragœdiæ excitantur, partim falsissima esse; partim si quæ vera sunt, (& sunt nonnulla; pauciora tamen per totum spatium Regni Elisabethæ, quod fuit annorum quinque supra quadraginta, quàm per quatuor annos Reginæ Mariæ:) ea horribili carmine Bullæ Pij V. duobus annis minimum esse posteriora: illum, illum esse fontem proditionum penè quotidianarum, quæ in caput maximæ Reginæ, ope Diaboli sunt contextæ, ope Dei immortalis sunt detectæ. Porrò ex proditionibus leges natas esse, multò quàm priùs seueriores. Harum legum pœnas qui posteà subierunt, de fulmine Pontificis & dura necessitate, quæ ab inuita Reginâ,

&

& prudentiſſimis ipſius Conſiliarijs eas leges expreſſit, cur iure meritò quererentur, habuerunt ; de ipſa autem Regina, aut ijs qui fuêre tum illi à Conſilijs cur quererentur ? Licuit Romano Pontifici Pio V. Reginam diris deuouere, omnes ſibi morigeros Reges, Principes, populos, in ipſius pernitiem & ruinam vniuerſi Regni excitare, in eamque rem omnem lapidem mouere : Reginæ & Proceribus ipſius, quò peſtem impendentem auerterent, leges ferre, quæ ſunt latæ, non licuit ? Quondam Romanus Senatus, poſtquam patres familias aliquot ſeruorum ſuorum conſpiratione perijſſent, Senatuſconſulto, quod Silanianum eſt dictum, ſeruos omnes ſub tecto heri occiſi repertos, nullo ſontis aut inſontis diſcrimine, capitis damnauit. Non defuerunt in Ordine ampliſſimo, quibus ea lex durior videretur. Sed erat tanti ſalus & ſecuritas ciuium Romanorum ; cui vt conſuleretur, ne illa quidem ratio eſt repudiata, quæ aliquid ex iniquo trahebat : quod exiſtimarent magni illi prudentiæ ciuilis Antiſtites, paucorum priuatorum iniuriam publica vtilitate abunde compenſari. Legerunt dubio procul in antiquis hiſtorijs, & hoc legitimæ ſeue-

ritatis exemplum & plura alia non minùs memorabilia, inimici huius regni; legerunt, inquam, & si quid in illis est æquitatis, aut disciplinæ Politicæ, probarunt. quare igitur latas pro securitate Elisabethæ leges damnant? cur tantopere quiritantur? Si fateri verum licet, tot clamorum hæc vera causa est. Vt sicarijs Cornelia lex non placet, neque Remmia quadruplatoribus; ita illis qui Principum alicuius vitam habent inuisam, quíue aliquid de Marianæ doctrinâ deguſtarunt, leges illæ supra modum displicent, quæ ipsum præstant innoxium & securum. Iam quod dicitur, religionis suæ causa Catholicos morte affici solitos regnante Elisabetha: grauissimum id quidem esse crimen, si verè obijceretur, libenter fatemur: sed qui sciamus falsò obijci, meram esse calumniam, meram sycophantiam affirmamus. In hoc regno, mi Ducæ, legibus viuitur, legibus in sontes animaduertitur. Quomodo igitur religionis causa morte affici Catholici in Anglia potuerunt; quum nulla vnquam in hoc regno lex fuerit rogata, quæ Religionis Catholico-Romanæ modestam sine factione, aut res nouandi cupiditate, professionem morte afficeret? Quin ea fuit

Reginæ

Reginæ Eliſabethæ clementia, vt multos ſæpe legibus regni damnatos, ipſa abſolutos dimitterit; ſi modò agnoſcere eius legitimum imperium, & Hildebrandicæ doctrinæ magis pernitioſis capitibus vellent renuntiare. Hac moderationis prudentia, non autem religionis mutatione, Iohannes Hartus Ieſuita, poſt longam cum Iohanne Rainaldo viro eruditiſſimo diſputationem, & vitæ ſuæ conſuluit, & libertatem ſibi peperit: magna vel eo nomine dignus laude, quod damnata Edmundi Campiani obſtinatione in aſſerenda Pontificis Romani poteſtate temporali, ſiue potius omnipotentia, alijs bene ſentiendi exemplum quod ſequerentur, præbuit. Et vero ſecuti ſunt, cum Ieſuitæ nonnulli, vt Boſgrauius: tum alij plures, vt Riſhtonus & Hortonus; omnes eo nomine vitam & libertatem nacti. Qui ſi adhuc vitali aura apud vos fruuntur, & liberè loqui audent, verbis ſine dubio; ſin autem, etiam ſilentes, præſentia ſua mendacij omnes arguunt; qui Catholicos veſtros ſolius religionis cauſſa ſolitos in Anglia tradi carnifici impudentiſſimè dictitant. Atenim nemo ignorat rerum huius Inſulæ peritus, non in odium religionis Catholicæ, quæ in Eccleſia Anglicana

cana paucis emendatis & ad pristinam simplicitatem, reuocatis, quoad eius fieri poterat, cummaximè viget, leges latas fuisse quæ ab aliquot annis obtinent; sed temporum necessitatibus eas fuisse expressas aduersus Romanos Pontifices, potestate sua licenter nimis abutentes; & tunc quando illæ ferebantur Reginæ Elisabethæ fulmine a se afflatæ vitam eripere cupientes, atque omnia in eius regno sursum deorsum permiscere satagentes. Si Pij V. Bullam infaustam, quæ * κεφάλαιον πάντων iure dici queat, legisti, & quæ deinceps ad sententiam atrocem exsecutioni mandandam cogitauit, parauit, quantumque in ipso erat effecit, apud Gabutium & Catenam scriptoresque alios Italos, & ipsius Pij encomiastas, aliquando obseruasti; non potes dubitare verissimum esse quod iam dixi. Vt interim nihil hoc loco referam, quod facillimum esset, de antiquis Romanæ Curiæ in Reges Angliæ, Ordinem Ecclesiasticum, & eum Proceres tum populum, iniurijs, vexationibus & angarijs, alibi locorum nunquam auditis, & modum fidemq; superantibus rapinis; quorum malorum tot hodieq; extant testes locupletissimi, quot rerum Anglicarum ab

annis

* malum vnde alia scaturierunt.

annis sexcentis supersunt scriptores: tot testimonia ineluctabilia, quot ferè paginis constant Matthæi Paris historiæ, viri omnium citimæ ætatis historicorum Anglorum (nisi cui placeat Willielmum Malmesburiensem excipere) eruditissimi, & Romanæ alioquin Sedis acerrimi defensoris. Equidem postquam hoc genus Auctorum diligentius versatur, satis intellexi, Angliam quando rerum potiente Henrico VIII. Pontifici Romano nuntium remisit, grande illud & æternum memorabile facinus ad extremum peperisse, quod dudum malis victa, per aliquot secula maximis cum ærumnis suis parturiebat. Possem hoc tibi sexcentis argumentis demonstrare, si id nunc agerem. Adferam huc tantum prophetiam eum primis memorabilem, viri pietate & doctrina maximi, Roberti Lincolniensis Episcopi, qui sub Pontificibus Gregorio IX. Celestino IV. Innocentio IV. vixit, ac demum sub Alexandro item IV. moriens, ante annos CCCLVIII. posteaquam illa ipsâ, qua obijt nocte & præcedente, longam querimoniam apud circumstantes presbyteros ac monachos de infelicissimo Ecclesiæ statu effudisset; Papam omnium malorum causam esse con-

confirmans, eumque propterea hæreticum, & eatenus Antichristum appellans, tandem in hijs verbis beatam animam Deo reddidit: *Non liberabitur* (inquiens) *Ecclesia ab Ægyptiaca seruitute, nisi in ore gladij cruentandi.* Norat videlicet sanctissimus Præsul, & verè Dei plenus, non solere eos, qui siue iura siue iniurias Pontificum defendunt, quicquam remittere, aut querimonijs cuiusquam, licet æquissimis, vel tantillum moueri. Itaque multo ante futurum in Anglia diuinauit, quod tandem aliquando factum videmus; vt Reges Anglię cum vniuerso Clero, & cunctis Laicis, dura ac longa captiuitate, atque vt ipse loquebatur, *è seruitute Ægyptiacâ*, vi & armis sese in libertatem assererent. Non ignoro varias esse hominum sententias de occasione quam arripuit Henricus VIII. magni incepti perficiendi: sed mihi grauissimè errare videntur, qui in Henrici facto hęrent, neque ad priora tempora animum reuocant. quemadmodum enim mortis caussam nemo sapiens vltimę quę hominem rapit horę tribuit; sed prioribus vitę temporibus, per quę moriendi caussę paullatim sunt contractæ: sic, repudiatę, &, tanto cum omnium ordinum applausu reiectę auctori-

ctoritatis Pontificiæ, altius repeti cauſſæ debent, in antiquis Anglorum Hiſtorijs inueniendæ. Quare, etiamſi Henricus VIII. non fuiſſet; viam tamen fata inueniſſent, & quod factum eſt futurum fuit: quodque in Anglia videmus accidiſſe, etiam in alijs regnis, ne dubita, eueniet, cùm erit menſura plena, & Deus volet. Nam * οὐκ ἀθεεὶ mutationem hanc Anglicanam eſſe factam, longa pax inſecuta, quies publica, inaudita felicitas primo Reginæ Eliſabethæ, deinde Sereniſſimi Regis Iacobi, videntur probare. Atque has Anglorum veteres hiſtorias, ſi iſti adeo animoſi Curiæ Romanæ Patroni, quanta par erat diligentia euoluerent; ſi candidè res memoria Patrum & heic & Romæ geſtas æquis ponderibus examinarent, atque ijdem Summo Pontifici eorum quæ legiſſent veritatem ſimpliciter exponerent: næ illi rem facerent cum Eccleſiæ vniuerſæ vtilem, tum ipſi Pontifici maximo apprimè honeſtam. Sperarem facilè eo pacto futurum, vt cauſſas rerum in Anglia nouatarum melius & Pontifex & * οἱ ἀπ' αὐτοῦ caperent: prorſuſque fore confiderem, vt de Eliſabetha Anglorum honeſtius ſentirent: & rationes ad defenſionem illius à fidelibus eius

* *Non ſine numine.*

* *Qui ab eo denominantur.*

subditis sæpissimè allatas, quas modò breuiter attigimus, non adeo superciliosè & malignè reijcerent. Verùm age, Elisabetham mittamus, Principem vel fatente inuidia, Illustrissimam, & cuiuis priorum Regum vel nominatissimorum comparandam. Quid? an cum Serenissimo Rege IACOBO, nunc Dei gratia felicissimè regnante, (qui vtinam regnet quam diutissimè, bono suorum subditorum natus, Regi Christianissimo coniunctissimus:) multò aliter hodie agitur? an illi sua virtus admirabilis, & illa diuina in negotio de religione moderatio, quicquam apud vestros profuit? An causſę Pontificię patroni, inter lenitatem ęquitatemque tanti, tam eruditi Principis, tam paci studentis, & pręfracta atque * ἀυάγαγα quorundam * δοκησισόφων ingenia discrimen vllum statuerunt? Nihil minus: totum enim quod postulant, aut nihil auferant oportet isti homines, si volumus Catholici aut Christiani dici: minoris non impetraueris ab illis earum appellationum vsuram. Omnia sine exceptione probanda sunt, etiam quę priora secula ignorarunt. Alioquin statim audies; *Qui peccat in vno, reus est omnium.* Nec refert, si illud vnum, neque sacris literis fuerit contentum, neque

* *Insolentia.*

* *Opinione scientiæ turgentium.*

neque priorum ſeculorum Concilijs cautum. cuiuſmodi illud eſt, famoſum & funeſtum Eccleſiæ (ſic mens ominatur, neque aliter iudicant prudentes * παρόσον καὶ ὀπίσω ὁρῶντες) dogma de temporali Pontificis poteſtate, & iure deponendi Reges ac regna dandi. Sereniſſimus itaque Rex Iacobus, qui hanc doctrinam vt priſcæ Eccleſiæ inauditam, reſpuit, vt pernitioſam ſuo alijſque aliorum Principum imperijs, Eccleſiæ vero exitiabilem, deteſtatur, exſecratur, abominatur, Cardinali Bellarmino Catholicus non eſt, ne Chriſtianus quidem. Quid igitur eſt? Iuliano ſimilem appellat Cardinalis cum ſuo diri ominis Torto ; ipſe torquendis Scripturis, quò ambitioni ſeruiat, tam Iuliano apud B. Cyrillum ſimilis, quàm Rex Iacobus eſt diſſimilis. Atenimuero teſtis eſt vniuerſa hæc maior Britannia, & hoc norunt etiam in cætera Europa quamplurimi, Sereniſſimum Regem, quando voluntate Dei & legibus regni ad hanc, virtuti ipſius non minùs quàm generi & ſanguini debitam, Coronam eius Maieſtas eſt accita ; inter reliquas animi dotes verè regias, infinitum etiam quoddam deſiderium ſecum attuliſſe, (non temerè profectò in illo horridiore axe conceptum ; ſed

* *antè & retro cernentes.*

celitus à Deo infusum,) concordiæ in Ecclesia Dei omni ratione honesta procurandæ. Et quum Maiestati ipsius persuasissimum esset, nullam se Deo immortali victimam gratiorem, nullum ὁλοκάυτωμα acceptius posse offerre, quàm si subditos suos à varietate opinionum ad mentium vnionem, à dissentionibus ad consensum in verè antiqua fide primæuæ Ecclesiæ traduceret: vt huius, alteri Iosiæ conuenientissimi, voti compos fieri posset, quid ille statim initio regni sui non fecit? quid comitatis, humanitatis & benignitatis desiderari potuit, quod non abundè eius Maiestas illi parti subditorum suorum obtulerit, præstiterit? Non ad aulica ministeria, amicitiam & familiaritatem cum Ipsius Maiestate; non ad honores aditus, nullum denique beneficentiæ genus est illis denegatum. Videres breui spatio temporis multos ex Romana formula Catholicos, ad dignitatem Equestrem per Regis munificentiam conscendere. Videres derepente, nescio vnde ex ignotis locis, agmina Catholicorum vestrorum prodire, versari in luce, in aulam, in ipsa interioris admissionis cubicula Palatij, sine difficultate ventitare atque admit-

ti.

ti. Et quum multos quotidie Rex pietate admirabilis, de controuerſijs huius temporis cum illis ſermones haberet ; erant qui vltrò manus darent ; erant qui à propoſito non dimouerentur ; omnes ſua libertate vtentes, omnes religioſum animum Principis ſui, & in tam alta fortuna adeo exquiſitam omnium hodiernarum controuerſiarum peritiam & facundiam attoniti ſtupentes. Reſtabat vna nota, quæ Catholicos Pontificios & Catholicos Proteſtantes(ô quando hæc diſtinctio ceſſabit, & fiet vnus grex,vnum ouile!) inuicem ſepararet ; mulcta quædam florenaria per ſuperiorum temporum turbas veſtris impoſita. Hanc differentiam * ὁ θαυμαστὸς Rex Iacobus non patiens, ſtatim ſuſtulit ; mulctam vetuit exigi ; exactam iuſſit reſtitui. At ſcin quomodo ? non obiter aut dicis cauſſa,more Principum, quos non voluntas facit liberales, ſed frontis infirmitas chreſtologos ; verùm planè ſerio ; ita vt magna pecuniæ vis (duo & quinquaginta millia florenorum ſemel ſunt relata) ex ea cauſſa collecta eò rediret vnde fuerat ablata. Quid multa ? Sola ferè iam erat virtutis aut vitij nota,qua ciues a ciuibus, qui non parum diuerſa conditione prius viuebant,diſtin-

* *admirabilis.*

guerentur; cætera pari conditione inter ſe agitabant. O verè tum beatos partium veſtrarum Catholicos, ſua ſi bona noſſent, & ſuo ſe pede metiri didiciſſent. Nam præter publicam profeſſionem & * παρρησίαν τῆς ἰδίας θρησκείας, quam ſperare in hoc regno, eo tempore, magna fuiſſet ſtultitia, quid reſtabat, quod poſſent viri prudentes iure deſiderare? At dices, ſcio mi Ducæ, non fuiſſe diuturnum hunc veſtrorum in iſtis regionibus ſtatum. Et verè dices. Neque enim clementiſſimo Regi ſuâ clementiâ, quamdiu optabat, vti licuit. Optabat autem ſemper vti: feciſſetque adeo; niſi per illos ipſos ſtetiſſet, ad quos hic tantæ bonitatis fructus perueniebat. Fictæ & ſimulatæ virtutes ſtabiles non ſunt & temporibus metuunt mutari. Sereniſſimi Maioris Britanniæ Regis excellentiſſimæ virtutes, atque illa cum primis bonitas, * χρηστότης & benignitas, quas in eius Maieſtate vel ipſi hoſtes prædicare coguntur, naturæ ipſius, non minus quàm ſpirandi & reſpirandi facultas, ſunt coalitæ, nunqam nutaturæ cum bono Deo, nunquam mutandæ. Non igitur Rex animum priorem erga ſubditorum ſuorum illam partem mutauit; ſed illi ſubditi erga ſuum Regem, ſuum δεσπότην, fidem

* *libertatem proprie religionis.*

* *Propenſio ad benefaciendum.*

dem perfidia mutantes (de parte loquor, non de omnibus Catholicis vestris : ne hoc sîrit Deus :) vim indoli naturæque ipsius attulerunt, & ad repudiata prius consilia inuitum traxerunt : neque prius à furore destiterunt, quàm indulgentissimi Domini sui Maiestatem coegerunt, si se, si suos, si publicum statum, vellet saluos, legibus, quarum vim hactenus inhibuerat, vim suam permitteret. Cum quidem, & Rex & omnes patriæ suę amantes, sunt coacti summæ prudentiæ testimonium Reginæ Elisabethæ Consiliarijs reddere ; qui solam hanc impediendi vestros, ne res nouarent & Rempublicam a fundamentis verterent, rationem expeditam & efficacem, nec minùs necessariam esse iudicarunt, si aliquantò durius haberentur. Nam quis iam consilium hoc damnare audeat, aut mitius aliquid Regi prudentissimo suggerere ? postquam vestrorum adeo multi, simul ac mollius à benignissimo Principe sunt habiti,* κατα πέπτειν μέγαν ὄλβον, & *æquâ commoda mente pati*, vitio humani ingenij non valentes, melioris se fortunæ capaces non esse, rebus ipsis comprobarunt. Regi enim, à quo beneficia, ne spe quidem vnquam antea sibi concepta, acceperant, eam gratiam retulerunt

** Concoquere magnam felicitatem.*

runt, vt ad delendam è memoria hominum Ipsius Maiestatem vnà cum affectibus eiusdem omnibus, Regina coniuge, Principe Henrico & cętera sobole tota, nec non Proceribus Regni vniuersis, ingenij vires omnes conferrent. Equidem inuitus facio, quod malorum præteritorum memoriam hoc loco renouem; qui potius optarem, aut nunquam vestros ea hîc tentasse, quæ sceleſtissime tentarunt: aut, quia facta infecta fieri nequeunt; posterioribus saltem consilijs & fidelitatis argumentis à se editis, contractam ignominiam penitus delesse. Verum cogit me instituti ratio, paûca hoc loco de rebus à vestris Catholicis hic gestis disserere. Noui enim & te & multos alios, viros probos certorum hominum veteratoria malitia deceptos, de rebus, quæ sunt hic gestæ & quę geruntur quotidie, falsa credere, falsa opinari; & quum mentiendi animum non habeatis, sępe tamen in earum rerum mentione falsa dicere. Videó Apologistam, quum plus fidei tribueret mendacissimo nebuloni, portentosissimo falsarum rerum hamaxario, certo & germano Cretensi Andreę Eudęmonoiohanni, * ὃ ὃ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει, quàm publicis Actis, quàm Regis veracissimi affirmatio-

* *Cuius os maledictione & amaritudine plenum est.* Rom. 3. 14.

ni

ni conſtanti, quàm teſtimonijs ſexcentorum fide digniſſimorum virorum, de præſenti Catholico-Romanorum in Anglia ſtatu, deque perſecutione religionis cauſſa hic cum maximè vigente; multa pro veris narrare, quæ ficta ſunt & falſa: puluerariæ coniurationis, cui par immanitas ne inter paganas quidem & feras gentes prioribus ſeculis vnquam fuit audita, manifeſtiſſimè conuictos, eoque nomine * δικαιωθέντας, pro inſontibus habere & veris Chriſti martyribus; multas item alias ineptas & caſſas veritate nugas libro ſuo inſerere. Video denique pleroſque omnes veſtros ſcriptores, quoties Anglicana attingunt, ita palàm * ὁμόσε χωρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, vt ſpem omnem rei benè gerendæ in ſtrenuè mentiendo videantur locare. ridiculè iſtud quidem & ſtultè;

Οὐ γὰρ ὅτι ψεύδεται πατὴρ Θεὸς ἔστιν ἀνθρώπος.

Qui fidunt falſis, nunquam his Deus auxiliatur.

Propterea rem me tibi non ingratam exiſtimaui facturum, Fronto eruditiſſime, ſi veram cauſſam hoc loco tibi exponerem, cur veſtri duriore aliquanto conditione in iſto regno ſint hodie, quàm eſſent primis Iacobi Regis temporibus. Nihil autem tibi ex me dicam, qui ſum in Anglia, vt ſcis, * ξένος καὶ πάροικος;

* *Supplicio affectos.*

* *Reſiſtere veritati.*

Hom.

* *Peregrinus & aduena.*

sed ea dicam, quæ ex ore Sereniſſimi æquiſſimíque Regis perſæpe accepi : quæ Proceres Illuſtriſſimi, & omni reuerentia digniſſimi Præſules, alijque ex omnibus Ordinibus viri graues & moderati, non ſemel mihi dixerunt. poſtremò ea dicam ubi, quæ Anglos multos partim hîc, partim in Gallia mihi notos viros, cæteroquin veſtrorum omnium dogmatum tenaciſſimos, animaduerti ſentire. Et ſunt horum nonnulli, quod fortaſſe miraberis, qui Romam eo propoſito profecti, vt rei veritate expoſita præcipitia & * παρακινδυνευθείσα certorum hominum conſilia, patriæ exitiabilia, & Religioni Romano-Catholicæ * ἐπονείδιστα megiſtanibus ibi probarent, & omnes violentas rationes deprecarentur : deinde cognito plus Romæ antagoniſtas ſuos quàm rectè monentes valere, reuerſi in patriam mœſti & gementes, acquieſcere præſenti ſtatui ac conditioni ſatius duxerunt, & Chriſtianæ profeſſioni conuenientius, quàm turbulentis Tribunis, aut perditiſſimis Catilinis potius, ſocios ſeſe adiungere. Quid quod auſus eſt non nemo Anglus Romę P. Perſonio Ieſuitę, quem ſuperiorum omnium ab annis fermè XXX. ſuſceptarum proditionum & conſcium & archite-

* *abrupta.*

* *probroſa.*

chitectum fuiſſe credebat, diem dicere, & in ius ad Patrum Inquiſitioni Præfectorum conceſſum vocare, rationem ibi rerum à ſe, aut conſilijs ſuis geſtarum redditurum? hoc, inquam, Anglus eſt auſus, vir bonus & cum ſacris tum alijs omne genus literis apprimè eruditus: ſed generoſæ mentis incepto defuit ſucceſſus; ſicut ipſe mihi ſæpe narrauit. Igitur mutationis paullò ante memoratæ, quæ altero demum anno regni Iacobi contigit, cauſſam eſſe comperior, non mutatum Regis animum, in clementia & benignitate conſtantiſſimi, (appello teſtes omnes qui nôrunt:) ſed præpoſterum nonnullorum è Romano-Catholicis zelum & immoderatam cupiditatem, Romanam fidei formulam, ſiue bonis ſiue malis artibus; patere quæſo te, dicere me quod res eſt; promouendi, & liberam eius profeſſionem paſsim toto hoc regno inſtaurandi. quod Zelotæ iſti quum ſibi perſuaderent alia fieri ratione nulla poſſe, niſi euerſa funditus Republica; quò deſtinata perficerent, omnia ſibi fas eſſe tentare, & nullum non ſcelus experiri, pium opus & Deo gratum fore, in animum induxerunt. Hic nimirum eſt ille male ſanarum mentium, di-

rus morbus, quem iam olim nonnullos è Christianis legimus inuasisse, & ad rixas in Ecclesia Dei ciendas transuersos egisse. Gregorius Nazianzenus, quod te non latet, quodam loco pronunciat, tœdam illam Ecclesiarum lacerationem, de quâ toties & ipse, & magnus Basilius conqueruntur, ab hoc potissimum fonte manare. Multos enim pietatis zelum obtendentes, pietatis arcem, metropolin omnium virtutum Christianarum, charitatem perdidisse, & in studia variq, partes & factiones Ecclesiæ membra distraxisse.

* Zelus Dei soluit impie vinculum et compagem charitatis, cuius solum nomen est relictum.

* Ζῆλος θεοῦ, inquit λύει δεσμὸν ἀθέσμως. Ἁρμονίαν τ' ἀγάπης, ἧς τὸ ὄνομα μόνον ἐλείφθη.

Hæc Theologus de suis hominibus; qui si ad nouissima hæc tempora peruenisset, quas Deus bone! querelas institueret; cernens hodie multos, præpostero isto zelo percitos, religionis & pietatis obtentu, impiè & irreligiosissimè, non vt olim verbis tenus lites seuere, & vmbratilibus velitationibus inuicem decertare; sed rebelliones, proditiones, cædes & lanienas innocentium populorum crudelissimas, legitimorum dominatuum euersiones, ac Principum suorum teterrima parricidia ausos esse suscipere. Paulus quidem Apostolus, quem

quem zelo ſanctiſſimo pariter & feruentiſſimo flagraſſe, ac fide in Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, omnes qui nunc viuunt mortales longè ſuperaſſe, nemo grauatè opinor concedet; monitus, eſſe qui iactarent probariipſi vetus dictum, *faciamus mala vt bona eueniant*; clamat blaſphemiam iſtos loqui; eſſeque eorum * ὃ κρίμα ἔνδικον; quaſi anathema maranatha aduerſus profanos homines pronuntians. At zelotæ hodierni, licet eandem cum Paulo Chriſti doctrinam profiteantur prædicare; quoties tamen eius aliquò inferendę voluntas eos cepit, Deum immortalem! quàm B. Paulo ſunt contrarij! & ſeueriſſimè ab illo damnatam ſententiam vt probant! vt libenter vſurpant! Quid in alijs Europæ partibus noſtra & patrum memoria ab eiuſmodi zelotis in eum finem ſit factum, non eſt inſtituti mei commemorare. In hoc verò regno quæ facinora deſignarint, quibuſue ſceleribus ſuos huc ritus introducere ſint conati, quoniam ad rem facit & tua id ſcire te intereſt, paucis indicabo. Vt igitur omnes illas tam frequentes, adeoque exſecrabiles proditiones miſſas faciam, quibus Reginæ Eliſabethæ charum ſuperis caput eſt appetitum; ad-

* *damnationem iuſtam.* Rom. 3. 8.

uersus hunc optimum & verè *γαλιώπατον Regem Iacobum vt regno ipsum aut initio excluderent, aut admissum deturbarent, homines *τῷ πνεύματι ζέοντες, sed non secundum Pauli doctrinam, quas fraudes non excogitarunt? quas nocendi artes siuerunt intactas? Id egisse omnibus viribus zelotas Anglos, vt Regem à debita sibi iure maiorum & regni legibus successione, multò ante legitimum tempus excluderent, pactiones clarissime arguunt, cum Hesperiæ Rege ab illis factæ, & potentissimi illius Principis vniuerso mundo notissimus conatus Reginam Elisabetham armis expellendi & regni huius occupandi. Posteà verò quàm periculum illud ingens Dei Opt. Max. virtute, & glorioſissimæ Reginæ felicitate admiranda, erat depulsum & profligatum; Cleones ijdem in scelere semel suscepto obstinati, breuia duo à Clemente VIII. impetrarunt, quibus iubebantur omnes Romano-Catholici operam dare, quantum in ipsis esset, vt post Elisabethæ obitum, *Rex eligeretur, omni sanguinis propinquitate spreta, ad religionem Catholicam bene affectus.* Henricus Garnettus Iesuita in Anglia Prouincialis, de quo plura nobis paullo post erunt dicenda, duo in eandem sententiam

* *Serenissimum.*

* *Spiritu feruentes.* Rom. 12. 11.

tiam breuia ſub extrema tempora vitæ Eliſabethæ, vt poſtea ex ipſiuſmet confeſſione voluntaria, liquidò conſtitit, Roma accepit: quorum alterum Archipresbytero & reliquo Clero Anglicano erat inſcriptum: alterum Principibus & Nobilibus Angliæ Catholicis; vt communi omnium ordinum opera negotium procuraretur, ſiquâ fortè perduci ad exitum poſſet. En ergo tibi nouam, & Apoſtolis atq; omnibus priſcæ Eccleſiæ Patribus inauditam religioni conſulendi rationem. Qui ſedentem in ſolio auito Reginam deijcere fruſtra toties tentauerant, ne idem ſolium tempore ſuo heres ligitimus occupet, iubentur cauere: & priuatis hominibus, vt regnum cuius naſcuntur Reges, non fiunt, ſuametipſorum auctoritate & electione propria, cui velint deferant, modò ſit Pontificius, ſit poteſtas. Veſtrorum nempe Catholicorum iſtud hodie eſt priuilegium admirandum; vt, non dicam graues ciues & Senatores illuſtres in vnum congregati, (quanquam ne hoc quidem licitum) ſed retrimenta hominum, ſine vllo publico conſilio, regna auferendi, & ad quos voluerint cumq; transferendi, leges denique omnes & iura ſpecie pietatis abolendi, poteſtatem ſibi vindicent:

cent : quod nulla, opinor, religio, quamuis profana atque impia, præter vestram, (vestram dico, quam multi è vestris sibi fingunt) aut iam concedit, aut prioribus seculis vnquam legitur concessisse. Nequè mirum. Nulla enim est, nulla vnquam fuit religio, quæ Pontificem vnde hæc omnis potestas * τερατώδης deriuatur, ceu * δεσπότες numen coleret, mundi totius Dominum, solum Imperatorem & Regem verum Orbis terrarum ; cui fas sit cæterorum omnium Regum ac Principum capitibus ludere ; deque eorum imperijs, & vita pro libidine suâ statuere, *siue directè siue indirectè, in ordine ad spiritualia* : agnoscis nouam atque Barbaram locutionem nouæ prorsusq; Barbaræ disciplinæ. Sunt tamen qui negent, Breuia illa eo consilio fuisse impetrata, vt Regi Iacobo præiudicium vllum fieret. Verùm hæc maior profectò amentia est, ne dicam impudentia, quàm vt ita scribentium ratio vlla haberi debeat. Nam cuius igitur latus mucro ille petebat? puerile, insipidum & ridiculum mendacium. Porrò hæc lutea Breuia, magnas ad excludendum Iacobum turbas excitatura, si petitiones * ἐκτενεῖς Zelotarum Anglorum per Christophorum Wrightum ipsi delatas, (quum

* *portentosa.*

* *Cœlo delapsum.*

* *Assiduas.*

(quum ſtatim à Reginæ morte eo fine in Hiſpaniam fuiſſet miſſus,) non eſſet piè & ſapienter Rex Hiſpaniarum aſpernatus; mox ad ſuadendam eiuſdem Sereniſſimi Regis deiectionem quam vim habuerint, paullò poſt videbimus. Riſit enimuero Deus immortalis ex alto impias impiorum molitiones; & pro ſua prouidentia atque iuſtitia ita res diſpoſuit, vt ſimul ac Regina Eliſabetha fatis conceſſit, Rex legitimus legitimè à prudentiſſimis Regni Proceribus accitus, imperij huius hereditatem cerneret, populi totius votis expetitus, incredibilique omnium alacritate exceptus. Oſtendimus vero iam antè auſpicia regni Iacobi qualia fuerint, & quantam Romani Catholici occaſionem tum habuerint, Regis optimi elementiam incomparabilem prædicandi; & * ἐκ τῶν παρόντων τὰ μέλλοντα, meliora indies ſperandi. Verùm quid profuit? Docuit enim paullo poſt experientia, humanitatis officijs velle certare cum hominibus zelotis; hoc verò nihil eſſe aliud, niſi operam ludere & littus infelix arare. Nam quum beneficiorum hæc natura ſit; præſertim autem eorum, quæ inopinata aut exſpectatione maiora obueniunt, vt dantem accipienti concili-

* è præſentibus coniecturam facientes de futuris.

ent; & vel infensissimorum hostium odia atque inimicitias minuant: (sic leones tigresque & quasuis alias feras animantes, esca porrecta, mansuetudinem aliquam videmus induere, & posità feritate, ita cicurari, vt societatis speciem quandam cum hominibus colant;) vestrorum tamen Catholicorum, vel, vt melius dicam, Zelotarum Anglorum animos insperata Regis indulgentia, antè nobis exposita, adeo non mitigauit, vt non secus ac si beneficijs irritarentur; quæ, auctore Polybio, immanitatis vltima linea est; eo ipso tempore quo melius cum ipsis agi incipiebat, de Auctore felicitatis suæ perdendo; ô feras indomitas atque intractabiles! ceperint cogitare. Nisi tamen verior est eorum sententia, qui feralia consilia non tunc primùm, sed multò antè fuisse suscepta existimant; idque animis ita obstinatis, vt ne inopinata quidem Regis benignitas reuocare ipsos à diro proposito potuerit. Quicquid huius sit, Watsonus & Clercus, duo Sacerdotes, vti vocant, seculares, Regem vix in Angliam ingressum, nondum certè coronatum, anno CIↃIↃCIII. machinatione clandestina tollere de viuis sunt aggressi. Prima hæc conspiratio in Regis pernitiem

nitiem poſtquam in Angliam appulit, in apertum & hominum cognitionem venit: ſed alias quoque tempore eodem fuiſſe texi ceptas, & monuerunt ijdem Watſonus Clercuſque, & quæ deinceps ſunt ſecuta comprobarunt. Dixerunt illi, ſæpéque ac conſtanter affirmarunt, ſe quum ſua conſilia Ieſuitis in Anglia tum degentibus communicaſſent, petijſſentque ab jis, vt tam præclari ſcilicet incepti participes eſſe vellent; reſponſum tuliſſe, non poſſe Ieſuitas illis ſeſe adiungere: vt qui ſuam ipſi quoque parilem telam orſi, memorabilem in æuum technam pararent, tempore opportuno exitum habituram. Et omninò ita erat. Nam etſi anni demum CIↃIↃCV. menſe Nouembri patefacta eſt ſequens coniuratio, quam è re puluerariam vocant; prima tamen eius initia anno primo regni Iacobi & ſecundi principio iacta eſſe, ex illorum Presbyterorum teſtimonio conſtat liquidò; tum multò magis ex ijs, quæ infandæ proditionis huius rei apud Iudices, rebus perditis, ſunt confeſſi. Planè ex indubitatæ fidei Actis, quæ de hac tota coniuratione publicè ſunt edita, poteſt intelligi, Catisbeium, huius dramatis primum actorem, ſtatim vt de Rege ar-

mis pellendo, & auxilijs Hiſpanicis ſpes eſt amiſſa (altero autem tertióue menſe à Regis aduentu ea ſpes decollauit;) ipſum nulla interiectâ morâ, à vi aperta ad dolos & Sinonias artes ſeſe contuliſſe. Neque multò poſt, cum machinationem per puluerem tormentarium, ipſo haut dubiè Satana, qui à principio homicida eſt, ſuggerente, idem excogitaſſet; alijs deinde vt ſeſe dabant opportunitates horribile ſecretum indicaſſe, & incepti ſocios ſibi acciuiſſe. Scitum eſt, rerum magnarum tardas eſſe molitiones; vt mirandum non ſit, proditionem puluerariam, quâ maius auſum haut temerè ſit inuenire, anno CIↃIↃCIII. delineatam; ſequenti, rebus neceſſarijs adornatam, vſq; ad anni CIↃIↃCV. menſem Nouembrem fuiſſe tractam. Quin illud potius omni admiratione digniſſimum, inter homines natos eſſe aliquem repertum, qui ſcelus ita inhumanum, ità impium excogitaret; ſemel excogitatum probaret; adeoq; ad facinus patrandum animo obſtinato pergeret, vt ne tam longi quidem temporis interuallo, morſus conſcientiæ vllus, aut pœnitentia aliqua mentem ſubiret. Quid loquor de pœnitentia? Certum eſt, pleroſque complicum

plicum ad ſuſcipiendum ſcelus perſuaſione meriti eſſe impulſos : quum nihil dubitarent, rem ſe aggredi, non dicam leuis apud Deum offenſæ ; ſed contra meriti ingentis. Itaque Iohannes Grant perduellium vnus, quo die ſupplicium de ipſo ad portam Occidentalem Eccleſiæ Cathedralis Sancti Pauli erat Londini ſumendum, monitus à Sacerdote, viro pio & erudito, rediret nunc ſaltem ad ſe, & magnitudinem ſceleris reputans, veniam delicti à Deo, ſeriò pœnitens peteret ; alacris & fiduciæ plenus reſpondit ; ſatis ſe acceptum habere, in ſuſcepto negotio adeo nihil fuiſſe delicti, vt è contrario confideret, generoſi incepti id eſſe meritum, quod pro ſatisfactione omnium ſuorum in cætera vita peccatorum abundè ſufficeret. En religionis præpoſterus zelus quid poſsit ! En Zelotæ homines Principibus & Rebuspublicis quàm ſint metuendi ! Nam quid ſatis tutum ab ijs eſſe poteſt, qui cædes infandas & deteſtanda parricidia diſſidentium à ſe in Religionis cauſſa, viam eſſe in cœlos & ſedes beatorum compendiariam autumant? vt propter huiuſmodi exempla, adeo præſertim crebra hodie, rerum imperiti & ſanctiſsimæ atque innocentiſſimæ Religio-

nis Christianæ imperiti, non immmeritò sint illud vsurpaturi,

Tantum relligio potuit suadere malorum.

Nam obsecro te, Fronto humanissime, ecquod post homines natos coniuratione pulueraria maius aut horribilius scelus fuit vnquam susceptum? ecquod ferinæ crudelitatis tetrius exemplum legisti vnquam editum? Vt populus Romanus vnam ceruicem haberet, Caligulæ, Principis furiosi & humani sanguinis auidissimi, narrant historiæ votum fuisse; sed votum duntaxat, prætereaque nihil. Zelotæ Angli, non vouerunt illi quidem fortasse, vt vniuersa maior Britannia ceruicem vnam haberet, vno ictu præcidendam: sed quod longè maius est, subtilissimam rationem noui Sisyphi vel Autolyci excogitarunt, quâ id ipsum ferè in Anglia effectum darent, quod Romæ Caligula voluit, nec potuit. Regem enim, Reginam, Principem Henricum, cum fratre Eboracensi Duce, item cunctos regni Proceres, cunctos Episcopos; cum ipso flore cæteri ordinis Ecclesiastici; magistratus præterea maiores omnes, minores pleroſque omnes, necnon aliam populi multitudinem infinitam, vno impetu diffiasse & in aerem impulsos, ô

cru-

crudelitatem inauditam! membratim ac frustillatim discerpsisse; quid futurum erat aliud, nisi magnæ Britanniæ caput vna veluti ceruice nixum amputasse, & reliqui corporis trunco vitam eripuisse. Et Caligulæ quidem votum, vt erat temeritate subitanea conceptum, ita fortasse si eius exsequendi potestas ex inopinato esset ipsi facta, pænitentia fuisset emendatum. Zelotæ Angli, non repentè neque temere, sed destinato consilio parricidium, omnia prioris æui exempla supergressum, susceperunt: semel susceptum iugi meditatione concoxerunt, & ad consummationem illius cupiditate summa anhelantes, integrum fermè triennium in tanta immanitate obfirmati, durauerunt. Tum autem quæ comparatio Imperatoris pagani & mente capti, cum Optimi Regis subditis, cum hominibus qui se Christianos dici haberique vellent, denique cum salutaris Christi doctrinæ pręconibus, & ijs quidem Iesuitis? Nam quod negat Apologista, teterrimæ huic proditioni fuisse quenquam immixtum è societatis vestræ Patribus: vellem ita esset. Non enim tam multi hodie dira illa consilia amplecterentur, si vestra Societas* ἥτις νῦν, ἅτε ἀκριβεστάτη αἵρεσις οὖσα ἐπιπολα-

* *Quæ nunc celebratur*

maximè, tanquam omnium exactissima.

λάζει, illa se ex animo detestari serio ostendisset. Sed longè aliter vestros esse animatos, facta, vt de scriptis taceam, euincunt. Quare siue prudens siue imprudens errat turpiter Apologista, & quicunque idem cum illo sentiunt. Enimuerò coniurationis puluerariæ negotio Iesuitas mininum quatuor interuenisse, certo certius est. quatuor illorum nomina fuerunt hęc: Henricus Garnettus in hoc regno ab annis XIX. Prouincialis; Hallus, qui & Oldcornus; Oswaldus Tesmondus siue Grenwellius; & Iohannes Gerrardus. Ac cæteri quidem, pro sua quisque virili, singula quæ res aut tempus postulare viderentur, exsequentes, negotium per partes curarunt; Henricus verò Garnettus, vt qui dignitate supra alios emineret, magnęque auctoritatis homo esset, propter longum rerum tractandarum vsum, prudentię & solertię laude inter Anglos Pontificios longò clarissimus, de vniuerso negotio cum vnico fere duntaxat Catisbeio solitus fuit communicare, cæterorum omnium conscientiam sollicitè refugiens: quod non semel in Epistolis ipsius, proparimanu scriptis, legere memini. rationem huius consilij infra exponemus. Ad hunc in

rebus

rebus dubijs, ceu ad oraculum, Catisbeius doli totius architectus, ventitans, aut Grenwelium ſuam vicem miſſitans, oracula petebat. Et erat is Garnettus, in quo ſi Hildebrandicæ diſciplinæ amorem excipias, neque rectum iudicium, neque doctrinam, * προσκλητὸν præſertim, deſiderares. In Actis condemnationis ipſius lego hoc illi tributum elogium ; *quod à Deo & meliore natura dotibus fuerit ornatus multis ; quod fuerit arte eruditus, linguarum vſu peritus.* poſtremo, *præſtantes eius dotes ſi a proditionis ſcelere ſeparatæ ſeorſim expenderentur, miſericordiam poſſe commouere.* Meretur hic candor Illuſtriſſimorum Heroum & æquiſſimorum Iudicum, qui de Garnetti cauſſa cognouerunt, vt etiam in cæteris quæ de eodem pronunciarunt & mox ſcriptis prodiderunt, fides eis ab omnibus habeatur. Nam inſulſus planè eſt Andreas Eudæmonoiohannes * ὁ Κρὴς, qui prolatis ſuperioribus elogijs, probare nititur, Garnettum nullius ſceleris conuictum, odio duntaxat religionis, aut Ieſuitici nominis, fuiſſe damnatum. ea hominis ſiniſteritas eſt, ea væcordia & malitiæ furor. Sed de iſto Cretenſi, patre mendaciorum pariter ac patrono, paullo poſt. Interim ad ſermonem inſtitutum reuertamur; ſi

* *quæ verſatur in actione.*

* *Cretenſis.*

prius tamen testificati hoc loco fuerimus, testẽ Deum ipsum appellantes, nihil quicquam nos studio calumniandi de hoc viro dicturos esse, aut quod non liquido constet nobis esse verissimum. Nam præter Acta publica, inconcussæ fidei monimentum, quicquid mendax Cretensis allatret, illas quoq; Garnetti epistolas diligenter legimus, quas de se & rebus suis in Arce Londinensi scripsit plurimas. poteramus quidem hoc labore supersedere, quum ex ijs literis * τὰ γνησιώτατα dudum descripserit & publicauerit, integerrimus reuerendissimusque vir, Dominus Episcopus Elienſis, auctor Torturæ Torti; de cuius alta doctrina in omni genere disciplinarum, quicquid dixero minus erit; sed vt scires non alienis testimonijs, verum pro prijs oculis credidisse me, feci non inuitus, vt dictas Epistolas inspicerem, & quæ in illis scribebantur diligenter obseruarem. Apparet verò ex vniuersâ narratione, quæ Actis publicis continetur, & ex illis ipsis Epistolis; Henricum Garnettum zeli præposteri feruore sideratum, & cæco studio Romanæ religionis promouendæ accensum; ea gessisse, aut geri permisisse, quæ nemo verè Christianus & pius ab honesto viro, nedum

* Præcipua quæque.

dum primæ notæ Theologo, exſpectauerit; ſed ab homine potius omni planè probitatis, humanitatis & ſinceræ pietatis ſenſu deſtituto. Puluerariæ coniurationis fuiſſe ipſum conſcium, ne illi quidem negant, qui pro martyre haberi volunt. Nos autem certò ſcimus, & ſine vlla hæſitatione affirmare audemus, P. Garnettum ſceleris illius non tantùm fuiſſe conſcium; verum etiam approbatorem & genere quodam auctorem. Nam etſi principem illum proditorum Catisbeium, doli totius primarium architectum, initio machinationis ipſum conſuluiſſe, non ſatis conſtat: non tamen rationes deſunt euidentiſsimæ, quæ id ipſum penè euincant. Illud certè liquet, mox cum facinoris ſocios idem quæreret, eas difficultates incidiſſe, quarum gratia adire ad Garnetti oraculum oportuerit, vt rem eſſe licitam cunctis perſuaderetur. Ipſe quidem Catisbeius, pro ea conſuetudine & familiaritate, quæ illi cum Garnetto intercedebat, non ignorans ad excludendum Regem Iacobum Breuia duo ipſum Roma accepiſſe; nihil hæſitans in hac ratiocinatione acquieſcebat: *Quem voluit Papa aditu prohiberi, eum ſine dubio vult admiſſum deturbari.* Sed quum

non iam dubitaret Catisbeius, ad Regem deijciendum omnes sibi licitas esse fraudes, κακουργήματα ac dolos : quia tamen placitæ machinationis ea ratio erat, vt Rex cum Protestantibus tolli aliter non posset, nisi vt multi Pontificij eodem * παραμύθιον inuoluti simul perirent : super hoc dubio Catisbeius, vt & se & alios scrupulo molesto liberaret, non multo post anni CIↃIↃCIV. initium, vt Acta insinuant, Garnettum consuluit. Non dico quid Theologus Iesuita responderit : nam id iam non ago : sed hoc volo, tam ex hoc colloquio & pluribus alijs Catisbeij cum ipso, quàm ex Grenwelli sæpe repetitis sermonibus, de quibus & Acta & plurimas Garnetti Epistolas testes habemus ; luce clarius probari, Patrem hunc Iesuitam coniurationis nefariæ non minus conscium fuisse, quàm alium quemuis complicum. Neque verò solum arcani conscius Garnettus, sed plerisque coniuratorum vt Wintero, Rookwodo, & ipsi Fauxio incendiario, qua fuit auctoritate, audendi auctor extitit, cunctantibus & horrescentibus priusquam probari rem tanto viro ex verbis Catisbeij cognossent ; sicut fusè narratur Actione in proditores priore. iccirco vbi tempus aduenit,

* *Reti perditionis. Aeschyl.*

uenit, dolum, quem diu Zelotæ iſti fouerant, excludendi ; quum inter coniuratos conueniſſet, vt Coughtonam omnes conuenirent, de rebus neceſſarijs in commune conſultaturi: inter cæteros adfuit Garnettus, omniáque ibi egit, quæ à coniurationis conſcio, ſuaſore & cupidiſſimo incentore agi parerat. Omitto alia eius rei indicia in Actis diligenter expoſita ; poſtea verò ab Epiſcopo Elienſi ita perſpicuis argumentis demonſtrata, vt ne ipſi quidem hoſtes profeſſi veritatis, poſſint iam de eo dubitare. Tantum afferam huc, quò res ſit teſtatior, apertiſſimam ipſius Garnetti confeſsionem, ex literis propria manu ſcriptis Dominica in Ramis palmarum ; quarum eſt inſcriptio, *Ad dilectiſsimos Patres & Fratres* His grauiter ipſi ſuccenſentibus, quod proditionem ſibi innotuiſſe confeſſus eſſet, ita reſpondet. *Nam quid facerem ? Primò accuſabant me reliqui omnes coniurati : Secundò, Catisbeius vſus ſemper apud eos fuerat auctoritate meâ, quâ adduxit penè omnes, vt benè ſentirent de negotio ; quo factum, vt ad vnum omnes me haberent pro reo. Tertiò, duo quidam Corycæi inaudierant me cum Oldcorno colloquentem, atque tota de re apud eum diſſerentem, quid ad obiecta ſingula reſponſurus eſſem ?*

Quartò, literæ etiam à me aurantiarum ſucco ſcriptæ ad D. Annam neſcio quomodo in illorum manus peruenerant, quibus ſententiam meam non obſcurè confeſſus ſum. Plura, ſilubet, ex eadem epiſtola deſcripta quibus idem confirmatur, legere potes in Tortura Torti. Prætermitto ſimiles confeſſiones, partim pro tribunali, partim alia occaſione factas, vt legere eſt in Actis & in eadem quam modò nominaui Tortura Torti, exactiſſimæ fidei & diligentiæ ſcripto. Quamobrem hoc primum eſto crimen Garnetto obiectum; quod Pauli Apoſtoli doctrinam aut oblitus aut inſuper habens, vt bonum quod exiſtimabat eueniret, malo conſenſerit, atque adeo totis viribus malum procurarit, quo maius aliud non temere à conditu mundi Sol adhuc vidit. Non vtique hoc facturus, ſi Ieſu Chriſti, à quo appellationem ſibi acciuerat, verum ſeſe imitatorem voluiſſet præſtare. Nam vbi benigniſſimus Dominus noſter Garnetto ſtragem horrendam molienti, vel exemplo præiuit, vel præcepto? Aut quis putet Filio Dei, Agno illi * ἀμώμῳ, qui pro ſua inexhauſta miſericordia, tollit peccata mundi, diras eiuſmodi cædes & parricidia è præpoſtero zelo ortum habentia, placere poſſe? qui meminerit, Iacobum

* *Immaculato.*

bum & Iohannem Apoſtolos, propter ſimilis nonnihil zeli votum, vt Samaritas, Regem Meſſiam non recipientes, ignis de cælo cadens conſumeret; grauiter a Chriſto fuiſſe reprehenſos, zelum legitimum ab illegitimo verbis illis, ſi attendimus, diſtinguente: * οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματος ἐστε ὑμεῖς: quo ſpiritu, inquit, ducamini, neſcitis. bono zelo agi vos creditis, cùm Samaritas dedi exitio optatis: ego verò zelum illum crudelem, ſanguinarium & deſtruentem, à meis non exigo; charitatem exigo, patientem, peccata tegentem, ædificantem. hanc probo, hanc pręſtari ab ijs volo, quibus pacem meam ſum relicturus, * ἡ γὰρ ἀγάπη ὡς πλησίον ὡς ἑαυτὸν πλεῖόν ἐστι πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ θυσιῶν. Non, inquam, facturus quod fecit, Garnettus fuit, ſi ſatis meminiſſet grauiſſimæ ſententiæ, qua Dominus Principem Apoſtolorum Petrum ſeuerè caſtigauit, poſtquam zelo percitus, æquiſſimo illo quidem, ſed non ſecundum ſcientiam, Malchi auriculam præcidiſſet, * πάντες ait Seruator mundi, οἱ λαβόντες μάχαιραν ἐν μαχαίρᾳ ἀποθανοῦνται, peribunt quicunque pietatis obtentu aut zelo pręferuido impulſi, perdere alios aggredientur. Garnettum igitur & cęteram coniuratorum manum, qui

* *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* Luk. 55.

* *Diligere proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs* Mar. 12. 33

Matth. 26. 52.

qui prępoſtero iſtiuſmodi corrupti zelo, cædes, tam atroces præſertim, parabant, quis dubitat iuſtiſsimas pœnas Deo & hominibus pependiſſe? de ſupplicio corporis loquor: nam vere pœnitentibus, ſicut ad extremum viſus eſt pœnituiſſe Garnettus, Dei miſericordiam ſperamus non fuiſſe pręcluſam. Hoc verò Garnetti crimen, quàm graue aſſertoribus doctrinæ Hildebrandicæ videatur, non ſcio: omnibus pietate non fucata pijs & bonis ciuibus, ac Principum ſubditis fidelibus, inexpiabile ſcimus videri; planéque eiuſmodi, cui neque nomen ſatis aptum, neque par ſupplicium vllum queat inueniri. Accipe nunc, Fronto eruditiſſime, Garnetti eiuſdem crimen aliud, aut crimina potius varia, ei de quo diximus connexa. Non enim virtutes ſolum conſertæ ſunt inuicem, mutuóq; ſeſe conſequuntur; ſed & vitia quoq; nexu adeo arcto inter ſe colligantur, vt non facilè cuiquam ad inſignitum aliquod ſcelus, niſi per plura alia ſcelera, pateat via. Scias in Garnetto hoc apparuiſſe veriſsimum: qui illud vnum ſcelus quum intenderet, vt Rege & Regia domo extincta (quod Deus omen auertat) ſublatiſque omnibus, qui credebantur ipſius conatibus poſſe obſtare,

res

res in Anglia nouaret; quo ſui huius voti poſſet compos fieri, quot quantiſque ſceleribus alijs ſe obſtrinxit? Nihil hic fingimus, nihil ſtudio partium damus; multo minus mortuo & ſententiam paſſo inſultamus. Apage hanc plus quam Barbaram inhumanitatem; licet multis hodie falſo creditis Chriſtianis nimis vſitatam. quin potius, ſicut affectu ſincero ſortem hominis miſeramur; ita & vicem noſtram dolemus, qui vt veritati aduerſus prodigia hominum patrocinemur, inquirere accuratius in defuncti facta; & peccata illius (quæ melius premerentur ſilentio, ſi per hoſtes veritatis liceret;) proferre in lucem vel inuiti cogimur. Ita verò mihi ſit Deus propitius in die illa, vt hoc non odio cuiuſquam, ſed ſolo amore veri impulſus facio. Quare de hoc viro non omnia quæ ſunt mihi comperta commemorabo; ſed ea ſolum, quæ ad cauſſam proditionis faciunt. Quod dixi Garnettum vnius ſceleris patrandi ſtudio multis ſeſe contaminaſſe; tam facile probatu id mihi iam eſt, quàm fuit ipſi difficile & * ἀδύνατον illam abyſſum euitare, vbi ſemel zelus religionis præpoſterus à recta conſiliorum via abduxit. Quid faceret? Poſteaquam enim * ἀναγκαίαν ἑαυτῷ vt

* *Impoſſibile*

* *ſenſit ſe per illa quæ iam*

fuerat ausus desperata audacia necessitatem sibi imposuisse.

contra Iulianum ait Gregorius Nazianzenus, τὴν ἀπόνοιαν ἐκ τῶν ἤδη τετολμημένων ἤδει πεποιηκώς, exedendum illi erat quod ipse sibi intriuerat. Serò enim vbi iam longè a portu prouecti sumus, in altum ea consilia respicimus, quibus erat in terra locus. Non solent verò zelotæ à scopo, quem sibi semel proposuerunt, vllo siue diuini, siue humani iuris respectu reuocari: faciléque omnes, si opus est, ad finem optatum per pietatis & humanitatis leges calcatas pergunt; quod vtinam patria nostra superiore ciuili bello minus esset experta. Quid magis inhumanum aut belluinum, quam præ studio vindictę in amicos & inimicos pariter sæuire? omnes nullo discrimine velle perdere? Atqui Garnettus vester à Catisbeio consultus, essétne licitum, sontes insontesque simul perdere, si alteri sine alteris exstingui non possent, semel ita respondit in priuatis suis ædibus: *Licere, si tantum ex ea re boni prouenturum esset, quantum aliquot insontium necem compensare potest.* Iterum in Campis suburbanis, quibus a Palude nomen, in hanc sententiam: *Et posse & licere, cum sontibus insontes exsufflari, magnique adeo meriti rem fore, si id magno alicui bono Catholicis cederet.* Constat de veritate huius responsionis primùm ex

Actione

Actione in Proditores poſteriore, & breui oratione Illuſtriſſimi viri Domini Comitis Northamptoniæ; qui inter Primores regni ſedens, & Garnettum ipſum compellans, hiſtoriam omnem hanc fuſè narrauit; quæ ſi parum certa eſſet, aut aliquid dubij contineret, cur tacuit Garnettus? cur ſilentio ſuo rem approbauit & faſſus eſt? Sed & ratione alia, clara eiuſdem rei veritas eſt comprobata. Seruantur enim duæ * ἰδιόχειροι ipſius epiſtolæ, quibus res omnis ingenuè exponitur. Scripta eſt earum epiſtolarum altera pridie Nonas Aprilis, altera III. Eidus menſis eiuſdem. Poteſtne verò aliquis me docere quânam è ſchola Theologus hic iſtam doctrinam hauſerit? Certè quidem, ſi aliqua eſt, quæ ita doceat, & ad hanc rabiem homines incitet, Chriſtiana illa non eſt; Antichriſtiana eſt; Satanica eſt. Homicida namquam Satan & nunc & à principio, verus certuſque Abaddon & Apollyon. At Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrina, toto genere ab hac diuerſa, apertè cum ea pugnat. Scilicet tam diris cruciatibus deartuari diſcerpique innoxios cum noxijs vellet Filius Dei, Deus ipſe æternus, qui olim impiorum Sodomitarum integræ vrbi veniam ſe indulſurum promiſit,

Propria manu ſcripta.

si vel decem in vniuerso populo probi & Dei timentes potuissent reperiri; qui in Euangelio suo zizanijs iubet parci, ne cum mala semente aliquid fortasse bonæ simul auellatur; qui in eodem illo salutari nuncio, vindictæ cupiditatem seuerissimè suis interdicens, exemplum mansuetudinis per totam vitam præbuit: λοιδορούμενος γὰρ οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων οὐκ ἠπείλει παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι ἀδίκως. neque aliud remedium aduersus omnes iniurias suos docet, nisi fugam, patientiam & preces: vt spe gaudentes, quod ait Apostolus, in tribulatione patientiam præstantes, assiduéque orantes, victoriam de inimicis suis reportent. His solis armis Apostoli sunt vsi, cùm prædicationis Euangelij prima per Orbem terrarum fundamenta iecerunt. Hæc sola norant veteris Ecclesiæ Patres, cùm opus ab Apostolis inchoatum felicissimè vrgentes, *vllius se miscere morti* (nosti verba Gregorij Magni) ne tum quidem fas duxerunt, quando ad Christianos summa iam rerum peruenerat. Nemo illorum religionem Christi aliquò inferre cupiens, armis rem gessit temporalibus, aut puluerem tormentarium sibi parauit; nemo bellum cum vllo Principe suscepit; nemo dixit, vt hoc regnum

* *cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniuste.* 1. Pet. 2. 23. Rom. 12. 17.

num ad rectam fidem conuertam, Regem & vniuerſum nomen Regium inaudito proditionis exemplo occidam; tum autem quicquid in eo regno eminet * ἀϊδη παρεισάξω. ac ſi ita res poposcerit, in amicos & inimicos pariter ſæuiam. id namque Deo gratum eſt futurum & facientibus meritorium. Hæc non Chriſti aut priſcæ Eccleſiæ placita ſunt; ſed huius ſeculi aut proximorum exitiabilia inuenta. Hi fructus Hildebrandicæ doctrinæ; quæ Imperatorum, Regum ac Principum petens capita, multis perſæpe Europæ prouincijs ferro flammaque ſæuiens, quod ex hiſtorijs ſcimus, horrendam vaſtitatem intulit. Quod autem Catisbeius rem primò ſic propoſuit * ὑποθετικῶς, vt ad hypotheſin non deſcenderet: eſſet hoc alicuius fortaſſe momenti ad minuendum Garnetti crimen; niſi & voce in iudicio apud Dominos Delegatos, & ſcripto in epiſtolis quæ extant illius, ſæpiſſimè taſſus eſſet; Catisbeij hæc verba ſtatim percuſsiſſe animum ſibi, vt repentè conijceret, magnum aliquid, hoc eſt nefariam aliquam proditionem, ipſum cogitare. Deinde iam probauimus totius fraudis conſcium fuiſſe Garnettum, non minùs quàm complicum quemlibet. Quum igitur

* Orco demittam. Hom.

* In theſi.

in ſententia ſemper ipſe manſerit, neque reſponſum vnquam reuocauerit, ſed contra, conſummationem incepti omnibus ſemper viribus procurauerit: nullum eſt dubium, quando ita primùm reſpondit, rei ipſum fuiſſe intelligentem, neque vllo errore lapſum. mimus autem ille quò pertinuerit, inferius oſtendemus. Et de crudelitate quidem immani Garnetti, poſtquam Zelota eſt factus, hæc dicta ſunto.

De æquiuocatione verò, hoc eſt mentiendi & peierandi arte, quæ eidem tantoperè eſt probata, quid dicemus? aut quid pro rei magnitudine dici poteſt? Æquiuocandi ſcientia ætate noſtra inuenta, (quæ & maledicendi artem huic affinem & geminam prima protulit:) quos auctores habuerit non facilè dixerim. Conſtat, multos veſtri ordinis Theologos, fortaſſe & alios, verùm illos ego non vidi, eam artem magna cura & explicuiſſe & aſſeruiſſe. Sed qui præcipuè Æquiuocationem excoluerunt, eos video fuiſſe Anglos. Extant Ieſuitæ Perſonij Angli, qui Romæ diu vixit & mortuus eſt, diſputationes eius argumenti, acres & prolixæ, à doctiſsimis huius Regni Theologis, præſertim à Thoma Mortono

Decano

Decano Wintonienſi moderatiſsimi ingenij viro, confutatæ & iugulatæ. Extat etiam libellus ab eruditis Pontificijs in hoc ipſo regno ſcriptus, & hoc titulo publicatus, ac typis expreſſus; *Æquiuocationis Tractatus*: Blackwelli Archipresbyteri & Henrici Garnetti ſuffragijs *vt valdè doctus* (verba ſunt Archipresbyteri) *& verè pius & Catholicus* comprobatus. Nam Apologiſta, qui negat in ſecunda Apologia, vllum vnquam eiuſmodi tractatum in rerum natura fuiſſe, & qui eius meminerunt vocat impoſtores; quantus & quàm inſignis ipſe eſt impoſtor? Si ſexcentorum Anglorum teſtimonijs credere non vult, qui partim viderunt legeruntque eum librum, partim hodieque ſeruant; ſi Actis publicis, vbi res fusè exponitur, fidem vult abrogare; at ſuo ſaltem conſecraneo Andreæ Eudæmonoiohanni, ſcio, credet. Cuius Apologiam ſi inſpexerit capite ſecundo, leuitatem & imprudentiam ſuam, ne quid grauius dicam, velit nolit, cogetur agnoſcere. Quod autem Apologiſta idem, *Solos eſſe dicit homines Dei amantes, quibus æquiuocatio placeat*: & aliquanto prius, cæcitatem eorum Catholicorum è veſtris lamentabiliter deflet, (putes cùm legas, de primario aliquo fidei noſtræ

ſtræ articulo agi:) qui perſuaderi ſibi non patiuntur, boni viri eſſe, nedum Chriſtiani, æquiuocare; videndum eſt, quo iure hæc dicantur. Nam ſi appellatione æquiuocationis ſimplicem quandam & modeſtam reticentiam ſignificet, aut diſſimulationem conſiliorum, in hac miſera vita ſæpe neceſſariam; planè cum ipſo ſentio; qui multa alibi de iſta ſimulatione aut diſſimulatione, quam magnus Auctor, πολιτικὴν συγκρισιν nominat, diſputo, eiuſque fines & legitimum vſum oſtendo. Verum hæc πολιτικὴ prudentia nihil quicquam prorſus commune habet cum nuper nata mentiendi arte, quam Æquiuocationis auctores docent & mordicus tuentur. Naturam huius æquiuocationis paucis hoc loco iuuat explicare; idque non è tractatu ſolùm de quo diximus, aut Perſonij ſcriptis, ſed ipſius Garnetti verbis, quæ fideliter ex illius autographo deſcripta ſunt, & in Latinum ſermonem verſa. Is enim vir, quamdiu in Arce Londinenſi manſit captiuus, hac conſuetudine eſt vſus; vt ſiue Rex iuberet, ſiue Domini Delegati exigerent, aut etiam occaſio alia exiſteret, ſine vllâ difficultate ſententiam ſuam ſcripto conſignaret: vnde illa copia chartarum manauit,

manu

* *Politicam ſimulationem aut diſſimulationẽ.*
* *temporum neceſſitate expreſſa.*

manu ipſius exaratarum ac ſubſcriptarum, quæ in Archiuis huius Regni diligenter ſeruantur. Garnettus igitur de toto hoc argumento quid ſentiret explicare iuſſus, die Martij viceſimo anni CIↃICCVI hoc reſponſum dedit. *De Æquiuocatione ita cenſeo. In rebus moralibus & communi vſu uitæ, quando veritas inter amicos requiritur, vti æquiuocatione haut licet: id enim Societati hominum magno malo cederet. quare hoc remedio in iſtis nullus locus. Quoties verò de neceſſaria defenſione agitur, deque iniuria aliqua euitanda, aut damno, aut de conſequendo aliquo non parui momenti bono, ſine vllo cuiuſquam periculo, tum licita eſt æquiuocatio.* Attende mirabilem diſtinctionem. Inter priuatos non licet æquiuocare, hoc eſt mentiri & peierare; apud magiſtratum licet, modò id ſit vtile. Deum immortalem! quæ hæc noua Theologia eſt? Nam illa, *ſine vllo cuiuſquam periculo*, videbimus deinceps, quàm vim habeant in hac arte. reuera enim non niſi ad ſpeciem adijciuntur. Subijcit deinde Garnettus, æquiuocationis exemplum Couentrienſe, ſermonibus multorum in Anglia iactatum, ex illo Æquiuocationis tractatu, vbi ſic narratur & defenditur. *Graſſante per Angliam peſtilentia, quidam Londino, vbi vis maxima erat*

mali, Couentriam venit. Ad portam vrbis occurrit magistratus, qui delato iureiurando ipsum interogat. veniat necne Londino? Ille negat strenuè & dictis iureiurando fidem facit. An peccauit? Negant magistri in illo Tractatu. causſam afferunt hanc. *Principali enim*, aiunt, *& finali propositæ quæstionis scopo; scilicet, an sic venit vt ciuitati pestem afferret, responsum dedit; licet immediatus quæstionis sensus fuit, scire vtrum Londino sit profectus necne. De hoc bona conscientia iurare vt posset, persuasio præstabit, aut scientia certa, quam iurans habuit, vel pestem non iam esse Londini, vel aërem non esse ibi infectum, neque prætereuntes inficere: vel se equo vehentem citato cursu absque noxa transiisse.* Hæc est decisio illorum magistrorum; qui vt illustrent nouam doctrinam, admirabilem proferunt theoriam, non planetarum quidem, sed nescio cuius abstrusioris doctrinæ, de differentia *propositionis verbalis & reseruationis*, siue *retentionis mentalis*: item de *propositione scripta* vel *mixta*

* *Propria eius artis.*

Nam hęc sunt artis mirificæ vocabula *ἐντιτεχνα; nondum apud veteres Philosophos aut Beatos Patres, quod meminerim, mihi inuenta. Appellatur autem in hac arte, vt hoc quoque addam, Propositio mixta, quæ partim vocis prolatione, partim silentio constat: quando

animi

animi ſenſum, partim verbis exprimimus, partim ſilentio premimus & in mente reſeruamus. Ridere licet veteres, qui crediderunt boni viri & amantis veritatis orationem cum mente debere conſentire, & ſimplicem eſſe: quoniam* Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Homerus etiam, quem omnium ætatum ſapientes ſunt demirati, pueriliter cum vulgo errauit, cum ſub Achillis perſona grauiſſimè hominem deteſtatur, qui aliud in mente celat, aliud lingua loquitur.

*Simplex eſt veritatis oratio.

Ἐχθρός γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζῃ.
Haut minus ille mihi exoſus quàm ianua Ditis,
Mens aliud cui tecta tegit quàm lingua loquatur.

Sed & Regius vates cum inter notas perditiſſimorum hominum, hanc etiam ponebat, *quod vnuſquiſq; ad proximum ſuum corde & corde loquantur*, parũ attendebat. Ignorabant videlicet antiqui hanc de propoſitione mixtâ & reſervatione mentali doctrinam, apud magiſtratum præcipuè vſurpandam. de qua Philoſophum in *Περὶ ἑρμηνείας nihil ſcripſiſſe, (is erat locus proprius vbi natura propoſitionum omnium explicatur:) non eſt mirandum. adhuc enim tantum arcanum homines latebat: de cuius

*Pſal. 11. 2.

*De interpretatione.

reuelatione, eſt quod ſeculo noſtro gratulemur. Redeamus nunc ad Garnettum: qui in illo, de quo diximus ſcripto, poſt allatum hoc exemplum, cum ſuperioribus magiſtris conſentiens, rationem deciſionis ita explicat. *Poſſum eo caſu* inquit *iurare. Pono enim rem mihi fore commodiſſimam, vt in vrbem admittar, ex eaque re nullum damnum aut noxam poſſe ad Couentrienſes peruenire. Nam Ciuitas quidem Couentria aliud nihil ſpectat, quàm vt à morbo ſit immunis: quæ ſi exploratum haberet me valere, & à peſtilentia eſſe liberum, ſine mora me admitteret.* Hæc P. Garnettus. vbi vides cautionem ſuperiorem non eſſe neglectam, ne cum alieno periculo fiat æquiuocatio. Sed quid ſi fallatur æquiuocans & inſcius peſtem ſecum geſtet? Nam hoc ſæpe euenire, ne pueri quidem ignorant. Quare res nugatoria eſt iſta cautio. Nam exempli gratia: Fur quidam in ius vocatus eſt, & an ſit fur interrogatus, negat ſe eſſe furem. quidni enim? faciet namque periculi vitandi cauſſa. quare ex ſuperiore doctrinâ licet, cum hac tamen aut ſimili reſeruatione mentali: *Non ſum fur, vt in hac vrbe furtum faciam.* Simul enim apud ſe ſtatuet, vrbe illa excedere: vt ſine alieno periculo poſſit beneficio

ficio æquiuocationis frui. Sed hac cautione quàm benè cauetur vrbi? Nam fieri poteſt, vt ſimulac dimiſſus à magiſtratu fuerit, oblatâ occaſione ad ingenium redeat. ἄλλος γὰρ ἑφέλκεται ἄνδρα σίδηρος, & ipſa olera olla legit, quod aiunt. Iterum dico, futilis fallax & nugatoria eſt illa cautio. Proferamus aliud exemplum ex eodem Tractatu. Quidam poſt contracta ſponſalia per verba de præſenti; mox ad alias nuptias conuolans, fidem ſuam alteri ſponſæ ſimiliter per verba de præſenti obligat. Vocatur in ius ad Epiſcopi conſiſtorium, & præſtito iureiurando verum dicere iubetur; deinde interrogatus, annon priori ſponſæ per verba de tempore præſenti ſeſe obſtrinxerit; negat ille & pernegat. Quærunt Magiſtri, an hoc ſit peccatum, & reſpondent ſic: *Iudicis quæſtio eo tendebat, vt iuſtum necne eſſet prius matrimonium cognoſceret. quum igitur reus id matrimonium pro irrito & illegitimo haberet, nullo conſcientiæ periculo, iurare poteſt non feciſſe quod fecerat, cum hac vtiq; retentione mentali, Eo animo vt id eſſet legitimum matrimonium.* Quis negabit mihi quantiuis pretij eſſe hanc æquiuocationis doctrinam? quæ vt his quidem ſubtiliſſimis doctoribus placet, tam facile omnia ſecus admiſſa aut

* *Ipſum ferrum trahit virum. Hom.*

scelera potest excusare. Sed illud quoque fateantur omnes oportet, per hanc nouam disciplinam, ad omnia quamuis execranda * μιάσματα latam patefieri non fenestram, sed ianuam: vt meritò facturi sint homines facinorosi, & ad omnem impietatem proiecti, si assertores æquiuocationis pro benè meritis patronis habuerint, & omni obseruantia coluerint. Hoc melius sequentia demonstrabunt. Est & scitum eiusdem disciplinæ, ab auctore libelli defensum, & à Garnetto ipso, cum verbis tum scriptis, quæ ipsi vidimus: Licere criminis alicuius reo peierare, & omnimodis factum negare; si ab eo interrogetur, qui auctoritatem legitimam non habet: etiam apud legitimum iudicem licere; non tamen * ἀδιορίστως, sed cum hac exceptione, *tantisper dum probationes deficiunt*. Atque istud axioma egregiè in rem suam vertit P. Garnettus toto iudicij sui tempore. Nam ex eius ore nulla vnquam fuit prius expressa veritas, quàm teneri se * ἀφύκτως indubitatæ fidei testibus aut testimonijs cognosceret. Quoniam autem Rex clementissimus quæstionem de eo per tormenta haberi vetuerat; vt aliquid fieret, nec semper lateret veritas, excogitatum est à viris pru-

* *piacula.*

* *indefinitè.*

* *ineuitabiliter.*

prudentibus, vt Garnetto & Oldcorno Ieſuitis, qui in eadem Arcis parte vicinis cubiculis ſeruabantur, ſermones vnâ ſerendi poteſtas fieret, quos exciperent viri honeſti ad id miniſterium electi, in proximo latentes. Poſt hæc iuſſus Garnettus pro tribunali ſeſe ſiſtere, & an vllum ſibi cum Hallo ſiue Oldcorno fuiſſet colloquium interrogatus, petitione etiam adiecta, vt ſine æquiuocatione verum diceret; *pertinaciſsimè per animi ſui ſalutem iurans, negauit, idque toties cum tantis tamque horrendis execrationibus repetijt, vt audientium animis graue vulnus infligeret.* Non me aſunt hæc verba, ſed viri Illuſtriſsimi Domini Comitis Salisburienſis, ipſum Garnettum compellantis, cùm inter quinque Illuſtriſsimæ dignitatis Comites vnâ cum alijs primarijs totius regni viris iudex in ea cauſſa ſederet. Mox vt Halli confeſſione & teſtimonijs eorum qui ſermones exceperant, irretitum vndique ſe teneri Garnettus animaduertit; pudore ſuffuſus, miſer ſenex, veniam delicti ſic petijt, vt beneficio æquiuocationis id ſibi licere contenderet. Nam dixit; *cùm aliquis de crimine à magiſtratu interrogatur, is magiſtratui reſpondere antequam teſtes fuerint producti non tenetur: quia nemo tenetur prodere ſeipſum.*

Atque

Atque hæc constans fuit illius sententia, in qua semper mansit, omnia pernegans & facti rationem hanc postea afferens. Quadam etiam die magistratum vltro accusare ausus est, quod legitimis probationibus instructus, non esset veritus ipsum interrogare. Rem exponam pluribus ex scrinijs publicis. Die vicesimo septimo Aprilis interrogatus per presbyteratum suum; recténe feciſſet quando coram magistratu negauit, manibus etiam appositis (nempe sacro Euangelij codici) se neque nuncium misisse, neque scripsisse ad Tesmundum siue Greenwellum Iesuitam; ex quo vnâ fuerant Coughtonæ; quum sciret id esse falsum: Respondit; *Nihil se fecisse non legitimum; sed magistratus rem illegitimam fecisse & malam; qui de eiusmodi rebus se interrogarint per presbyteratum suum, quando ipsi literas à se scriptas haberent. Neque enim fuisse animum sibi eas denegare: siquidem sciuisset eas in potestatem magistratus deuenisse. Nunc quia crederet illas literas non esse interceptas, rem negasse, idque fieri à se legitimè potuisse.* Ecce rem nouam, noua iura. Reus Maiestatis magistratibus præscribit, quo pacto de sceleribus suis debeat interrogari: & si non pareatur à magistratu, grauissimè cum eo expostulat.

Satis

Satis iſtud quidem pro imperio: niſi quod per hanc præſtigiarum plenam doctrinam *nouus ſeclorum naſcitur ordo*, ac propterea * Ἀνω ποταμῶν χωρᾶτε παγαί. Legi etiam ſcriptum aliud, Garnetti reſponſiones quaſdam continens ad varias ipſi propoſitas quæſtiones die decima Aprilis, vbi leguntur hæc ipſius verba. *Si quis ſuſcepit aut ſuſcepturus eſt conſilium Regis occidendi; is non tenetur verum fateri, licet adducatur ad legitimum magiſtratum, donec probationes extiterint ad conuincendum ipſum idoneæ.* Credo te mi Fronto, pro tua humanitate, inhorruiſſe: doctrinâ enim iſtâ ne excogitari quidem alia efficacior videtur poſſe, ad tollendos Principes & vniuerſæ hominum ſocietatis iura conturbanda. Exiſtimo etiam, ſatis te iam ex ijs quæ diximus cognoſcere, quale genus monſtri ſit illa Aequiuocatio, quam Theologi Pontificij, ac præſertim Ieſuitæ, in hoc regno tam acriter defenderunt. Vnum tamen adhuc cum primis memorabile exemplum afferam; vt eò melius intelligas defenſores & approbatores æquiuocantis doctrinæ, quale ſit hominum genus, quàm veritatis & fidei inimicum, & Dei, qui eſt ipſa veritas, in ipſo etiam mortis articulo contemnens. Accipe igitur veram

* *fluuiorum fontes tendunt in ſuperiora.*

historiam, & ex vno discè omnes. Franciscus quidam Treshamus fuit, inter proditores non obscurus; qui post coniurationem Catisbeianam captus & à magistratu iussus dicere, si quid de coniurationibus aduersus regnum sciret: respondit; sibi hoc compertum esse, conspirationis sub mortem Elisabethæ initæ, qua Regis Hispaniarum copiæ aduocabantur contra Serenissimum Regem Iacobum, Garnettum fuisse cum primis auctorem. neque hoc magistratus nesciebat: nam Garnettus ipse, diplomate fretus, quo priorum delictorum omnium veniam mense Ianuario anni CIↃ IↃ CIV. à Regia Maiestate impetrauerat, non grauatè & Dominis Delegatis, & alijs etiam, id ipsum erat confessus non semel. Sed id Treshamus ignorabat; qui paullò post naturali morte publicum supplicium lucrifaciens, tribus duntaxat antequam ageret animam horis, suasu, vt creditur, vxoris, famulo scriptum dictauit, atque ipse manu moribunda subscripsit; quo priorem confessionem verissimam, & ex certa scientia profectam, antiquabat; pérque salutem animæ suæ iurans confirmabat, se Garnettum ipsis sedecim minimum annis proximis non vidisse.

ſe. Mandauit etiam, vt hæc charta ſe mortuo ad Dominum Comitem Salisburienſem deferretur. vti iuſſerat factum eſt, & delata charta; eáque per eundem Illuſtriſſimum prudentiſſimúmque Comitem Garnetto pro tribunali oſtenſa. qui ſæpius iam, vt modo dicebamus, coram illo maximorum virorum conſeſſu faſſus, negotij illius Hiſpanienſis participem ſe fuiſſe; nouo caſu deprehenſus hæſit, iudicium ſuum ſilentio tegens. Sed non eſt paſſus ſolertiſſimæ induſtriæ Comes ipſum tacendo Dominis Delegatis illudere. Itaque Garnettum interrogauit de Treſhami facto quid iudicaret. qui reſpondens, *Veriſimile eſt*, ait, *æquiuocationis beneficio ipſum vti voluiſſe.* Et hæc quidem de iſta re in Actis. Sed nolo prætermittere vberiorem eiuſdem ſuper hoc Treſhami facto reſponſionem, quam inter chartas, quæ mihi iubente Rege ſunt communicatæ, inueni. Ait ibi: videri quidem ſibi exemplum Treſhami non temerè eſſe imitandum; putare ſe tamen ignorantiam hominis excuſare ipſum poſſe. Nihil enim feciſſe, niſi quod rite ſe facere poſſe exiſtimaret. Non probare ſe, quod nulla neceſſitate exigente, vltro ad æquiuocationem tam abruptam proſilierit;

silierit ; quum præsertim de proditione, re grauissima, ageretur. *Verùm si quis quærat*, inquit, *an liceat in ipso mortis articulo Treshami æquiuocantis exemplum imitari, vrgente aliqua necessitate, vt periculo amici ; sanè licet. idque probare possumus argumento à Confessionibus ducto. Nam Theologi consentiunt, posse quædam in Confessione omitti, quoties notabile aliquod periculum immineat, si confitens omnia sigillatim exposuerit, quorum est sibi conscius. atque hoc ius*, ait, *quum durante vita vnicuique fas sit vsurpare, cur non etiam à moriente vsurpetur ?* Vides quàm non ægrè potuerit hic Pater adduci, vt in ipso momento quo ad iudicium Dei se sisteret, æquiuocatione homines falleret; atque vt ego interpretor, veritati simul & Præsidi veritatis Deo, renuntiaret. Nam quia commune nihil habent veritas & mendacium; qui ludicris fretus argutijs ad eius castra palàm transit, de quo scriptum est, * φεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, annon manifestè à Domino nostro Iesu Christo descisci, qui est * ἀλήθεια, & qui vt suos amori veri assuefaceret præceptum dedit, * *Sit vester sermo, Est aut Non?* Porrò æquiuocandi disciplina non hoc solum permittit hominibus, vt simplici affirmatione mentiantur ; sed etiam vt fidei faci-

* *mendax est et pater eius* Ioh. 8. 44.
* *ipsa veritas* Matt. 6. 37.

faciendæ gratia nihil eorum prætermittant, quæ inter mortales eò valere cenſentur. Iurabunt igitur, ſacra Euangelia tangent, & quiduis aliud facient; atque adeo ſi opus ſit, ſumptione corporis Chriſti, horreſco referens, mendacium firmabunt. Quo auctore hoc probabis? inquies. illo ipſo de quo nobis ſermo: veſtro inquam, Garnetto; qui die quadam conuictus multa apud Cognitores ſuæ cauſſæ eſſe mentitus, reductus in Arcem, & poſtea ibidem interrogatus, ecquid pœniteret artis infamis, & an id ſeriò licitum crederet? an pro tempore, neceſſitate premente, illa diceret? ipſe manu ſua reſponſi loco in charta quadam hæc ſcripſit, vt erat illi mos, & interrogantibus tradidit. This I acknowledge to be according to mine opinion and the opinion of all the Schoolemen; and our reaſon is, for that in caſes of lawfull equiuocation, the ſpeech by equiuocation being ſaued from a lie, the ſame ſpeech may be without periury confirmed by oath, or by any other way, though it were by receiuing the Sacrament, if iuſt neceſſity ſo require. Henry Garnet. Hæc ſunt ipſiſſima Garnetti verba, quæ ex autographo ipſius deſcripſi & fidei meæ cauſſa hîc appoſui. So-

nant autem hæc si Latinè reddantur, sic. *Hoc ego agnosco esse consentiens opinioni meæ & omnium Scholasticorum* vidi aliud autographon (Garnetti in eandem sententiam, vbi erat, of all Diuines of our side, *Omnium Theologorum partium nostrarum*, quod nomen multo est augustius, quàm Scholasticorum) *Et ratio eorum est, quod vbi de legitima æquiuocatione agitur, sermo qui per æquiuocationem liberatur a mendacio, idem etiam per iusiurandum sine periurio potest confirmari, & per quemuis alium in eam rem vsitatum modum; quamuis id fuerit per sumptionem Sacramenti, si iusta necessitas ita requirat. Henricus Garnettus.* Habes quam æquiuocationem Garnettus defenderit, & quàm præfractè illam defenderit. Apologista verò & mendax Cretensis, qui Æquiuocationem prolixè defendunt, & eius exempla etiam in Sacris literis conantur inuenire & in Patribus: si de ea quam hactenus exposuimus mentiendi apud magistratum & peierandi noua arte intelligunt; eos ego non dubito, nisi maturè pœniteant, impietatis suæ & manifestæ blasphemiæ pœnas Deo Opt. Maximo & veritatis acerrimo vindici esse olim daturos. Optarem posse hic desinere, & ingrato mihi sermoni finem imponere. Sed non possum.

Restat

Restat enim crimen aliud Garnetti omnium longè grauissimum. Nisi quis fortasse pro leui ducendum putet, rerum sacrarum profanationem adeo horrendam, vt Sacramenta, quæ diuinitus ad salutem hominum sunt instituta, vt essent gratiæ instrumenta, canales & σφραγίδες, ad scelus inexpiabile confirmandum, & regni huius euersionem sanciendam adhiberentur. Quid sanctius religio Christiana habet sacrosancta Eucharistia? de qua pij Patres Ecclesiæ veteris, Græci pariter & Latini, ne mentionem quidem facere paullo apertius vnquam sunt ausi; nisi omnes prius exclusissent profanos homines, aut non Christianos, vel etiam Semichristianos, id est, Catechumenos. Hæc tamen res tam sancta, & mysterium * οὕτω φρικτὸν, οὕτως ἄχραντον, ad coniurationem puluerariam promouendam & fidem complicum adstringendam, passim à Iesuitis totius negotij administris est adhibitum. Certissimum est, & principio statim, vt quisq; ad societatem infandi criminis est admissus, eum sumpta Eucharistia ad seruandum silentium fidem suam obstrinxisse; & postea non semel in eundem finem hoc Sacramentum esse repetitum. Extant probationes in Actis, quas præ-

* *Adeo pauendum, adeo non temerandum.*

prætermitto. Garnettum autem hoc non ignorasse, sed potius, vt rem piam imperasse, vel proxima verba quæ ex illius manu descripsimus, clarissimè euincunt. Nam qui ad mendacia & periuria apud Iudicem stabilienda, corpus Christi sine periculo sumi posse δογματικῶς definit; cur ad silentij fidem faciendam idem nolit fieri, ratio nulla dici potest. Hæc verò plus quàm Barbara immanitas quàm è diametro pugnet cum doctrinâ Euangelica, quid attinet dicere? Dominus quidem noster Iesus Christus, vt extaret in Ecclesia sua semper recens & viua eorum memoria, quæ pro sua inenarrabili bonitate in gratiam humani generis passus est * εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, quando peccata nostra sustulit in crucem, & τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον ἐξήλειψεν αὐτοῖς δόγμασι, reatum, inquam, nostrum vnà cum legis sanctionibus, quę nos peragebant reos, peremit; sacramentum hoc augustum & * ζωοποιὸν instituit: isti verò zelotę, quasi esset cœna Domini symbolum furoris & sceleris, & incentiuum ad cædes & parricidia, à participatione diuini mysterij diabolicam coniurationem sunt auspicati. atq; vt Regem, Regiam domum, & non pauca millia hominum innocentissimorum, in commu-

* in remissionem peccatorum. Coloss. 2. 14

* viuificum.

nè

ne congregatorum, animoſius delerent, ad altare conuenerunt, ſacra peregerunt, Communionem ſumpſerunt. Iam quum tanta cura doceat nos Apoſtolus, vt ſeuero peccatorum noſtrorum examine, & non ficta pœnitentia præparati, ad ſacram menſam accedamus, niſi volumus pro pane benedictionis pignus æternæ damnationis noſtræ comedere: Zelotę iſti, quaſi vellent Dominum noſtrum in partem ſceleris vocare, (abſit verbo blaſphemia,) per ipſum myſtici huius panis interuentum nouæ & inauditæ feritatis nouo reatu ſeſe obligarunt. Hoc videlicet eſt, quod Paulus prę-cipiebat, * συνέρχεσθαι εἰς τὸ κρεῖττον, non autem εἰς τὸ ἧττον. Tu, Fronto eruditiſſime, qui Theologus es, & in Patrum præſertim Græcorum lectione verſatiſſimus, impietatis huius magnitudinem, quam nulla vis humani ingenij, nulla verborum facundia ſatis expreſſerit, optime omnium intelligis. Quod ſi poſſet aliquid ex vniuerſa hiſtoria Eccleſiaſtica, aut Patrum monumentis, proferri ad nefariæ huius profanationis defenſionem; tu profectò, ſi quis alius, poſſes zelotarum cauſſam hac in parte adiuuare. Sed non vereor, ne id vel tu ſis facturus, vel quiſquam mortalium. Nouum

1. Cor. 11. 27.

* *Conuenire in melius, non in pejus.* 1. Cor. 11. 17.

hoc quoque inuentum eſt : Hildebrandicæ doctrinæ hic quoque eſt ſurculus. Quid nunc commemorem preces & ſupplica Catholicis à Garnetto ſub tempus perficiendæ proditionis indicta, vt magnum inceptum, promouendę religioni Catholicæ ſuſceptum, ad felicem exitum produceretur? Scilicet verè Catholica religio, hoc eſt vera, ſcelere tanto vt promouearur opus habet. Pudeat Chriſtianos impietatis tam manifeſtæ, tam proiectæ. Turcas non Catholicos decet hęc ſententia. Sane ipſe Garnettus cum poſtea à Magiſtratu interrogaretur qua fronte auſus eſſet ad precationem adeo deteſtandam ouibus ſui gregis pręire : facti pudendi infamiam à ſe amoliri quoquo modo eſt conatus. Dixit enim ; ſe orationes illas fieri iuſſiſſe, non eo animo, vt ex ſententia proditorum, ſed potius, vt contra proditorum mentem res eueniret, vtque eo pacto ſaluti Regis ac regni conſuleretur. Puerile iſtud quidem commentum fuit : ſed quo tunc maluit tamen vti, quàm fateri ; vſque adeo abominandæ rei auctorem ſe fuiſſe. Apologiſta verò qui factum negat, ſolemnia delirat, & de re ſibi incomperta temerè affirmans, ridiculè ſibi credi poſtulat. Legat Torturam Torti, à viro maximo

maximo conscriptum opus, & sibi responsum putet. Venio nunc ad genus aliud profanationis rei sanctæ; certè ad finem sanctum ab Antistitibus religionis Catholicæ ante plura secula institutæ. Confessionem dico; cuius rigidam necessitatem quæ apud vos obtinet, Ecclesia Anglicana molliendam sibi certo consilio putauit: rem quidem ipsam neque sustulit vlla vnquam lege, neque damnauit. At vos qui Sacramenti loco eam habetis, non minùs quàm Baptismum, aut Eucharistiam, magna omnino reuerentia eam tractare, & finis semper meminisse oportuit, cuius gratia fiut inuenta; neque quicquam committere, cur homines sibi persuadeant, alio fine eam hodie à vobis exerceri, quàm fuerit olim instituta. Nam si hodierna Confessio modo & fine diuersa est ab antiqua; quî potest, saluo pudore, vt antiqua defendi? Hac tamen in parte, quàm grauiter, quàm odiosè peccari hodie à vestris soleat, nemo iam ignorat. quippe eò dudum est ventum, vt Confessio multis telum sit ad mala peragenda efficacissimum. Quamobrem hocce animarum pharmaco malè vtendo (bonos & pios semper excipio) id assecuti estis, vt non dicam διθάδεις

* *Sui iudicij homines & morosi.*

quidam & δύσχολοι, quibus vinum vetus præ nouo haut ſapit; ſed prȩcipui admiratores antiquorum inſtitutorum dubitent; ſitne Eccleſiȩ conducibilius futurum necne, confeſsionem illam arcanam penitus eſſe ſublatam, quàm ita exerceri, vt â non paucis fit hodie, factioſis & malè curioſis. Cauſſas huius dubitationis grauiſsimas poſſem commemorare hoc loco, & illuſtribus exemplis confirmare, ſi à propoſito vellem digredi. Nunc, alijs omiſsis, ea duntaxat commemorabo, quæ ad inſtitutum ſermonem faciunt. Spero autem, ſi me non fallit iudicium de tuo candore meum, non magis tibi, quàm Sereniſsimo Regi probatum iri, quod ex ſimplici & vera narratione mea hîc geſtum eſſe intelliges. Apologiſtam etiam, ſcio, & alios tenebriones damnabis, quos non pudet ſcribere, Garnettum non aliam ob cauſſam ſupplicio fuiſſe affectum, niſi quia ſigillum Confeſſionis violare noluerit. Nam ille quidem, nulla vi corpori eius adhibita, violauit; ſi violare ſigillum eſt, rem quam in confeſſione te dicas accepiſſe, efferre; quod feciſſe ipſum ſæpius, atque omnia eſſe confeſſum, antea probauimus. Sed non in hoc peccatum illius conſiſtit. Peccauit enim

enim Garnettus etiam circa Confeſſionem, primò profanatione nominis, quod in magna veneratione, vtpote Sacramenti (ſic enim docetis) eſſe illi debuerat: deinde falſæ doctrinæ & periculoſiſſimæ aſſertione. De vtroque paucis dicam. Quemadmodum igitur ſi quis communes epulas, aut conuiuium à facinoroſis hominibus ad ſtatuendum de patrando ſcelere condictum, Euchariſtiam appellet, ac * κυριακὸν δεῖπνο; cauſſa dici non poſſit, quin profanatione nominis ſacroſancti reatum magni criminis & ingentis impietatis ſit contracturus: ita Garnettum, qui ſermones inter ſe & Greenwellum de coniuratione habitos, & conſuetudines crebras Confeſſionis nomine velabat, nemo pius profanationis crimine abſoluerit. Nam quid Confeſſioni commune cum deliberatione plures dies continuata, & ſæpius repetita ſuper modo & rationibus puluerariæ coniurationis ad finem optatum perducendæ? Confeſſio, quod equidem ſciam, enumeratione ſeria conſtat præteritatum offenſarum, & confitentis pœnitentia non ficta, nec non conſolatione & abſolutione confeſſarij. Horum vbi nihil interueniat, quis eam dicere auſit eſſe Confeſſionem?

* *Dominicã cœnam.*

Quam vocabat illo nomine Garnettus, eam consultationem potius fuisse, de patrando scelere, quàm religiosam Confessionem noxæ præteritæ, ordo gestorum luculentissimè ostendit, vt alia probatione nihil sit opus. Is à Dominis Delegatis interrogatus, vnde & quo pacto modum puluerariæ coniurationis, & τὰ καθ' ἕκαστα de illa, cognosset; respondit primò, à Greenwello se illa in Confessione accepisse; deinde verò, seu quod puderet ipsum mendacij, seu potius, quod conuinci metueret, sæpius super eadem re interrogatus, ita variè, ita perplexè, ita trepidè semper respondit, vt nemo audientium dubitaret, quod initio responsum fuerat, fuisse falsissimum. Extat autographum illius, mensis Martij die vltimo scriptum; cuius initium est. *Rogatus veritatem exponere & dicere, vtrum Dominus Greenwellus proditionem mihi in Confessione declarauerit, an extra Confessionem; Respondeo: Nos tum obambulasse: verum esse consuetum si longam deliberationem negotium aliquod desideret, vel si libris inspectis sit opus, vt vel ambulando vel sedendo confessio peragatur. Quod autem quæritur, Esset necne Greenwellus pœnitens? Respondeo; illum non quasi culpam suam hoc mihi dixisse, verùm vt rem sibi probè cognitam,*

nitam, atque hoc per viam Conſultationis. Extat aliud quarto Aprilis die ſcriptum autographum; cuius initium eſt: *Interrogatus per fidem meam erga Regiam Maieſtatem, an quod à Greenwello de pulueraria proditione primum cognoui, in Confeſsione dictum mihi fuerit, an extra Confeſsionem; Reſpondeo: Inambulaſſe nos & Greenwellum enuntiaſſe mihi rem totam ſub ſigillo maximo: quod ego de ſigillo Confeſsionis accepi, quanquam ille fortaſſe de minore aliquo intelligebat.* Præter iſta habeo in poteſtate adhuc mea ſchedam aliam ſexto die Aprilis manu propria Garnetti exaratam, quę ita incipit. *Vt ſatisfaciam Regiæ Maieſtati quantum per memoriam meam licebit, declaro hic.* Et poſt pauca. *Quod ad colloquij illius modum attinet, quo pulueriariam coniurationem Greenwellus mihi aperuit; equidem pro certo affirmare non poſſum, animum illi fuiſſe ea narrandi tanquam ſub Confeſsione. Ipſe tamen credidi, debere me ſic illa accipere. Nam Greenwellus offerebat ſe ad confeſsionem: ſed ego nihil opus eſſe dixi; me enim ſic accepturum tanquam ſi confitens rem indicaſſet.* Dicere etiam ſolebat: *Non Confeſsionem quidem eam fuiſſe, verum habuiſſe relationem ad Confeſsionem poſteà futuram.* Quid? quod habentur aliæ eiuſdem literæ ad D. Annam tertio die Aprilis ſcriptæ, in quibus

bus Confessionem quidem eam fuisse narrat; sed quam non alia lege à Greenwello acceperit, nisi vt sibi integrum esset eam reuelare, si quæstio vnquam de eo haberetur? En latebras, en hæsitationem & in defendendo mendacio miseram fluctuationem. En nouam doctrinam. Vbi enim aut in Sacris literis, aut in scriptis Patrum, vbi denique in vllo doctorum qui ante hoc seculum vixerunt, mysterium illud inuenias? *Non est Confessio, sed habet relationem ad Confessionem*; item istud; *Non vt culpam suam dixit mihi, sed per viam consultationis inter ambulandum, & tamen est Confessio.* Quam verò absurdum, ridiculum, & eius auctoritatis viro indignum, sermonem inter duos habitum, vnâ modò ambulantes, modò sedentes, sæpéque repetitum, vni collocutorum Confessionem esse, qui tamen exploratum non habeat, alterum congerronem de Confessione cogitâsse? Dicerem ridendam hanc amentiam, nisi tremendum potius ducerem, de rebus religionis ita ludere. Adde quod magnitudini rei qua de agebatur, lacrymæ potius conueniunt & iusta indignatio, quàm risus. Agebatur Regis & Reginæ mors crudelis, totius Regiæ domus miseranda pernities, Procerum, Præsulum,

ſulum, Equitum & floris omnium Ordinum internecio, & vniuerſi regni euerſio; cum interim Garnettus & Greenwellus coniuratione probè cognitâ, vt hominibus perſuadeant religione ſe impediri, quo minùs viri boni, & ciues probi ſint, puerilia ſophiſmata nectunt, & vt leonem excipiant ſubula ſe inſtruunt. Hoc placet? Hoc religio veſtra hodie ſuadet? At quis adeo ab omni humanitatis ſenſu eſt alienus, qui vel ſola recordatione harum rerum non afficiatur? Impius verò ſit oportet, cui non doleat pietatem Chriſtianam, & Domini noſtri Ieſu Chriſti præcepta fuiſſe illis ludibrio, qui de nomine eius adorando, propriam ſibi appellationem vindicabant. Nec multo minus noua aut minus deteſtanda doctrina eſt, de confeſſione non detegenda, ne in cauſſa quidem Maieſtatis, & præſenti Regis ac regni periculo; quam Garnettus idem animoſiſsimè defendebat: immo verò cuius gratia, fabula illa ficta eſt de Greenwelli confeſſione. Nam eò totus hic minus ſpectabat, vt colorem ſaltem dicere aliquem Garnettus poſſet, ſi quando eſſet ab ipſo quæſitum, cur in tanto Regis & Patriæ periculo ſiluiſſet. Quia enim norat Garnettus, ſimplices Catholicos & mi-

nimè factiosos consilium proditionis non probaturos; non dubitabat futurum, vt multis daretur occasio secius de religione Catholica vestra existimandi, & Societatem cum primis Iesuiticam detestandi; si esset euulgatum, ipsum sceleri consensisse, & participem omnium fuisse: cum liber erat summa semper diligentia cauit, (sicut ipse in multis suarum scriptionum locis narrat;) ne quisquam è populo resciret, suis consilijs proditores vti. ideo Catisbeius coram alijs rem in abstracto (vt loquuntur) proponit: ideo etiam simulatur confessio, multaque alia per simulationem geruntur. postea vero quàm doli omnes patuerunt, obseruatum est, Garnettum non adeo de vita sua seruanda fuisse sollicitum; ac de damno, quod vestram & religionem & Societatem non dubitabat accepturas, si semel quę ipse in hoc negotio & alij Iesuitæ gesserant, palàm essent facta. Vt igitur aliquid haberet quod apud simpliciores prætexeret, tuebatur totis ingenij viribus, Sigillum Confessionis ne in tam enormi quidem proditione esse violandum: neque vllam posse existere satis iustam caussam, cur accepta in confessione vllo pacto indicarentur. Acta narrant, Illustrissimum Comitem

Comitem Nottinghamiæ die quodam Garnettum pro tribunali ita interrogaſſe. *Si quis mane apud ipſum confiteretur, ſe die ſequenti Regem pugione transfixurum, an putaret rem ſibi occultandam?* Garnettum *affirmaſſe, neque aliud quicquam addidiſſe.* Sed in ſcriptis ſchedis inuenio eundem ſuper hoc ipſo interrogatum, pleniùs reſponſum dediſſe, hoc pacto. *Quod quæritur ſi in Confeſsione proditio fuerit detecta, cum præſenti periculo Regis & Regni coniuncta, niſi confeſtim prouideatur, quia Confitens neque pœnitentia vlla tangitur, neque propoſitum velit mutare, an poſsit Presbyter eam reuelare? Reſpondeo; Non poterit quidem abſolui qui confitetur: verùm ſi clauibus Eccleſiæ idem ſe ſubijciat, tunc obligat Sigillum Confeſsionis. Tenetur tamen Presbyter omnes rationes mali impediendi tentare.* Quid hic appellat *Clauibus Eccleſiæ ſe ſubijcere?* quum ponatur confitentem non pœnitere, & omnino velle ſcelus perficere. Nam ſi Eccleſiæ obſeq; paratum ſe oſtendat, pœnitebit vtique, & ab incepto deſiſtet. neq; enim cædem, opinor, Eccleſia ſuadebit: tunc autem nullum periculum. Quare aut ego non capio hoc tam ſubtile; aut hic Doctor reſpondere ad propoſitam quæſtionem aſtu declinauit. Et eſſet quidem aliquid, quod hic dicitur de

cura diligentissimè adhibenda à presbytero, quò ne malum eueniat: (neque enim confitentem indicari * τὸν ἐξομολογούμενον, & simpliciter petimus; sed vt destinato sceleri obuiam eatur:) nisi constaret certa experientia, Zelotas hodiernos non solum confitentem non indicare, sed etiam scelus ipsum adiuuare potius, quàm impedire. Appello testem Garnettum ipsum. Nam hic non è plebe homo, sed Theologus & Pater Iesuita, quid fecit, quid vel solum tentauit, quò minus exécrabilis coniuratio exitum haberet? Enimuerò hoc quoque paradoxum, de confessionis sigillo, ne in causa quidem Maiestatis, & prælentissimo periculo Regis & Reipublicæ non resignando, nouum est, & Hildebrandicæ doctrinæ appendix non pœnitenda. Dogma esse nouum liquet ex eo, quod neque in scriptis Prophetarum aut Apostolorum, neque in Patribus antiquis aut priscis Concilijs, vllum eius vel tenuissimum vestigium reperitur. Posterius autem esse doctrina Hildebrandica claret: quando eius assertores nullum possunt laudare auctorem suæ sententiæ, Gregorio VII. non posteriorem. Sane vetus Ecclesia, quæ summorum Pontificum Manliana in Principes impe-

ria

* *sine præcipuo.*

ria penitus ignorabat, dogmate iſto opus non habebat. Hodierna veſtra, quæ Imperatores, Reges & Principes cogit in ordinem, & excommunicatos à Papa vult occidi, aut dominationibus ſuis ſpoliari; hoc quoque adminiculo perſæpe opus habet. Fatemur alioquin ſcitum eſſe Eccleſiæ vetuſtum, pietatis & prudentiæ plenum; ne auditam confeſsionem liceret Confeſſarijs enunciare. Sed nemo piorum illorum Patrum, hoc Eccleſiaſticæ diſciplinæ præceptum tanta neceſsitate ſanciuit, vt eius gratia * τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ ἀκυρῶσι, & legem Dei viuentis æternam vellet negligi, ridiculis ſophiſmatis vafrorum hominum illudi, denique violari. Sciebant, quoties aliquis euenit caſus, vt locus ſit contentioni officiorum, hinc lege Eccleſiaſtica ſilentium ſuadente, inde lege diuina rumpi exigente; Deo potius parendum eſſe, quàm hominibus. Sciebant Dauidem laudatum eſſe à filio Dei, cuius eſt legem interpretari, quod tempore neceſsitatis panes propoſitionis comederit, quos non erat illi fas comedere, ait Chriſtus; potius quàm inedia ſeſe enecaret. Sciebant Dominum noſtrum in Euangelio hypocriſin Phariſæorum damnare, cùm mandata hominum legi Dei

* *Mandatũ Dei irritum facere.* Matt. 15. 6.

Marc. 2. 25.

anteponentes,& miſerum populum ſpecie pietatis decipientes, ſinebant eſſe impium, atq; vt Chriſtus * ait, labijs Deum honorare ; nihil interim curantes, quod cor haberent ab ipſo remotiſsimum. Nunquam igitur pij Patres occidi Reges & Reginas, exſufflari Regiam progeniem, Regnum integrum euerti, ſatius eſſe pronunciaſſent, quàm aliquid detegi in Confeſsione auditum. Nunquam dixiſſent pij Patres, quod mihi Lutetiæ dixit Binetus, ordinis veſtri Theologus, in Bibliotheca Regis Chriſtianiſsimi, altero tertióue menſe poſt Henrici Magni cædem, cùm de Garnetti ſupplicio (ipſe martyrium vocabat) loqueremur. *Præſtaret Reges omnes perire, quàm ſi vel ſemel Confeſsionis Sigillum violaretur.* Et cauſſam ſimul addens, *Regum enim*, ait, *imperium, iuris humani eſt; Confeſsio iuris diuini.* Obſtupui fateor ad hanc vocem, *-ſteterúntq; comæ, vox faucibus hæſit.* qui poſtquam veſtrorum hominum doctrinam lectione accurata librorum ab ipſis editorum didici, deſij admirationis & meam imperitiam damnaui. Nihil enim mihi ille dixit, quod non alij multi, etſi verbis fortaſſe non ijſdem, docuerint, & quotidie voce ſcriptíſque doceant. Et erat tum Binetus, vt

Mat. 15. 8.

mihi

mihi quidem videbatur, recens à lectione Apologiæ pro Garnetto : cuius Auctor Andreas Eudæmonoiohannes capite XIII. diſertè pronunciat, *Nullum tantum poſſe eſſe malum, cuius vitandi cauſſa confeſsionem prodere liceat.* Et affert ibi Andreas auctorum recentiorum tantam cateruam, vt nudis eorum nominibus & librorum ab ipſis editorum paginas impleat. Si *prorſus nullum malum poteſt eſſe tantum*, vt ait Andreas ; ergo ne omnium quidem Regum interitus erit tanti, quæ eſt affirmatio Bineti. Regum verò imperium eſſe iuris humani, at Confeſsionem diuini, plerorúmque è veſtra Schola & aliorum etiam opinionem eſſe hodie, quis ignorat, aut ambigit ? Docet hoc Sanderus, docet Bellarminus, docent alij plurimi. Quare ſine cauſſa miratur, & non credere ſe fingit Apologiſta, Binetum illa mihi dixiſſe. Cur miratur dixiſſe illum, quod ipſe dubio procul credit,& tot noui Doctores credi ab omnibus volunt ? Dixit verò, dixit illa mihi Binetus, quæ modo retuli, totidem verbis Latinè verſa. Teſtem aduoco Deum immortalem, nihil fingere me. Et aderas tu quidem, mi Fronto ; ſed alia parte Bibliothecæ, in libris Græcorum Patrum euoluendis occupatior

patior & remotior, quàm vt noſtros ſermones audire poſſes ; nedum vt ipſe mihi ea verba diceres ; quod temerè quidam, neſcio vnde acceptum, affirmarunt. Si epiſtolam ſuper ea re meam ad te, aut alteram eiuſdem argumenti ad P. Cotonem, quibus veſtris reſpondebam, totam deſcripſiſſet Apologiſta, nec partem alteram, quæ erat de Bineto reticuiſſet ; candorem illius laudarem, qui nunc fidem cogor deſiderare. Sed vt ſcias quàm ſint hoc tempore multi ſcriptores Regibus iniqui, audi nouam Theologiam, & ſeculi peruerſi infelicitatem mecum agnoſce. Nam vbi ſemel inter diſputantes de Summorum Pontificum poteſtate ſuper Reges amplificanda, æmulatio eſt accenſa ; quò furoris nonnulli in contumeliam Regum ſint progreſsi, dictu mirabile eſt. Exemplo ſit M. Antonius Capellus Franciſcanus conuentualis, qui nuper admodum in Italia aduerſus Sereniſsimum Regem & reuerendiſsimum Epiſcopum Elienſem ſcribens, capite ſexto probat, indignos eſſe Reges, qui Eccleſijs ſuarum ditionum vllo modo præſint ; *quos Deus*, inquit, *in Moyſe ſibi diſplicere apertè commonſtrauit.* Et ſtatim. *Eccleſia cùm ædificatur, de Regibus & Principibus ſeculi nulla ratio habetur.*

Huic

Huic enim Franciscano, neque Magi Reges fuerunt, neque Abgarus Edessenus, vt de Candace Regina nihil dicam. tanti facit iste * πατροπαραδότους traditiones. Bene speremus;

Lux fulsit mundo, concedit Roma Gebennæ:

Iocari enim tecum, mi Fronto, lubet, * καὶ παίζειν εἰ καὶ ἐν οὐ παικτοῖς, quod tuus ille Pater aureus dicere solet. Postea subijcit idem; *Et hij qui negliguntur, qui respuuntur, erunt Ecclesiæ Principes?* Vide mihi acumen hominis: Quia Christus, pro sua * ἀνεξιχνιάστῳ prudentia, ad primam Euangelij prædicationem & potentiam verbi diuini rebus ipsis demonstrandam, infirma mundi elegit, non autem Romanum Imperatorem, aut nescio quem alium Regem; ergo contemnuntur, negliguntur, respuuntur à Deo Reges. ô Logicum eximium! ô disputatorem subtilem! Nam pari ratione aliquis dicat: Dominus noster Iesus Christus in stabilienda initio doctrina salutaris nuncij, nullo Pontifice Maximo vsus est, nullo Episcopo Romano, qui temporali potestate præditum se diceret, siue directè siue indirectè; qui Reges infra pedes suos poneret; qui Imperatoribus coronas suas pedibus imponeret, pedibus decuteret, vt in Henrico VI. Papam Cœlestinum

** A patribus acceptas.*

** Et ludere, licet nos res ipsa ludere vetet.*

** Imperuestigabili.*

leſtinum feciſſe, probatiſsimi auctores ſcribunt: qui ſolus Imperator, ſolus Rex, ſolus Princeps à ſuis dici ſe compellantibus pateretur; quod ſupra dicebamus non ita pridem eſſe factum: ergo Ieſus Chriſtus contemnit, negligit, reſpuit Pontifices terrenum imperium ſibi vindicantes. Fallor, aut hæc conſequentia illa priore Franciſcani nihilo deterior eſt. Quid? putatne hic Magiſter, Deum quando inter alias factas Abrahamo promiſsiones hanc ponebat, *fore vt ex ſemine eius multi Reges orirentur*, maledictionis loco hoc ei eſſe pollicitum? qui ſi Pontifices ibi Regum loco nominaſſet, gloriam Pontificum proculdubio videretur iuiſſe auctum. Certè non contempſit Deus Opt. Max. Regem Iacobum, ſeruum ſuum, quando nefariæ coniurationis obſcura ſuſpicione iniecta, nemine tam arcanum myſterium coniectura aſſequi valente; ſolus ipſe extitit, qui rem totam planiſsimè diuinaret; quod ſine numine factum non eſſe, & credit Rex Sereniſsimus, quæ eſt eius pietas, & omnes qui viderunt perſuaſiſsimum habent. illi præcipuè, qui futuri alioquin eiuſdem exitij, Deus meliora, cum Maieſtate ipſius participes, Regi ſoli ſecundum Deum ſalutem ſuam ferunt

ferunt acceptam. Porrò quod diximus de ſigillo confeſſionis vbi Regum, aut Regni agitur ſalus reſignando, non Proteſtantium duntaxat eam eſſe ſententiam ; ſed multorum etiam è veſtris, aut Iuris Canonici Interpretum aut aliorum, atque inprimis inclytæ Sorbonę, aut etiam nunc eſſe, aut olim certè fuiſſe; quia multi graues Theologi probarunt, & in his nuper D. Epiſcopus Elienſis in Tortura Torti vbertim hoc demonſtrauit ; verbum de eo non addam hic amplius.

Habes, Fronto eruditiſsime, de rebus Anglicis, & nominatim de Henrico Garnetto, quæ tua & tuorum intereſſe ne neſciretis iudicaui. Atque ea veriſsima & hîc omnibus compertiſsima quum ſint ; tuum erit iam, pro tua prudentia, æquitate & * φιλαληθείᾳ ſtatuere ; vtrum malis veræ narrationi, quam ex ore ipſius Regis, Procerum, qui iudicij Garnettiani pars magna fuerunt, Actis publicis, è Garnetti denique ipſius ſcriptis autographis hauſi, & fideliter expoſui, fidem habere : an illi anonymo ſcripto Apologiæ veſtræ, cuius auctorem, quicquid ferè de ijſdem rebus ſcripſit, vel ex fictis rumoribus, vel ex fallacibus ſcriptoribus, aut proditorum qui euaſerunt

* amore veritatis.

ſermonibus accepiſſe, ſacramento, ſi opus ſit, non dubitauerim contendere. Nam Garnettum religionis, non autem immanis conſpirationis, cauſſa, pœnas dediſſe, Zelotæ primùm Angli rumoribus incertis diſtulerunt: deinde eos rumuſculos, alij præ ſimplicitate, alij præ magnitudine zeli inconſulti ita * ἀβασανίστως & cupidè amplexi ſunt & propalarunt; vt quod initio fatuis duntaxat aut oſoribus regni & religionis Anglicanæ, vix ac ne vix quidem perſuaderi poterat: iam vbi fama vires acquiſiuit eundo, etiam libris ex profeſſo ea ſuper re editis, veriſsimum eſſe, impudentiſsimè quidem & ſacerrimè, ſed tamen diſputetur: & Garnettus è manipulo proditorum per hos expunctus, in martyrum Chriſti numerum ſit tranſſcriptus. Prima, qua vſi ſunt zelotæ iſti techna, vt veritatem mendacio obruerent, & de Garnetti ſupplicio quæ volebant hominibus perſuaderent, ſtramentitium neſcio quod fuit ſpicæ miraculum; quod ab impoſtoribus lepidè excogitatum, etſi parùm venuſtè à malo pictore concinatum; mox cum teſtimonio Iohannis cuiuſdam Wilkinſoni Angli iuuenis, rerum imperiti, ſuperſtitioſi, fanatici, & deliri publicatum, fidem

*Nullo adhibito examine.

fidem nihilo ſecius apud non paucos inuenit. Adeo abſurda, ridicula, fallax pariter & falli facilis, atque vt vno verbo omnia complectar, veritati inimica res eſt zelus iſte prępoſterus. Propter hanc maximè ſpicam miraculoſam puto factum, vt Garnettum recens extinctum plurimi ſcriptores, quà ordinis veſtri, qua alij, certatim dilaudarent, & martyrium illius obiter in ſuis libellis celebrarent. Itaque Martinum Delrio veſtrum, ſcis qualem virum, non piguit Dionyſium Areopagitam cæleſtis Hierarchiæ mirificum *ἐκφάντορα, & Henricum Garnettum, ceu par nobile virorum maximorum & inuicem *ἀνταξίων inter ſe comparare. Sed neq; rumoribus incertis, neque ſpicæ miraculo, neque etiam ſcribentium laudationibus, (nam iſti quidem tanquam cæci de coloribus, de re ſibi penitus ignota, pronunciabant) ſatis erat factum eorum deſiderijs, quibus omninò placebat nouo martyre numerum augere cælitum. Neque enim ipſos latebat, eſſe hîc Acta, publica auctoritate edita, ex quibus liquidò & ſine vllo dubio conſtaret; Garnettum, non vt ſceleſti quidam deploratæ cauſſæ patroni, dixerunt, proditionis aliquo rumore fuiſſe aſperſum:

* *Interpretem.*
* *æqualium.*

ſum : ſed è contrario ſicut verè atque elegan-
ter aduerſus Tortum à viro ſummo ſcribitur,
veritatis voce & vi tabularum, teſtium, pro-
bationum luce, ſoliditate, pondere conui-
ctum, ore proprio, manu propria fuiſſe con-
teſſum. Vnica igitur reſtabat conſecrandi
Garnettum ſpes & ratio ; ſi Acta illa, per quæ
ſtare conſecratio non poterat, infamarentur &
fides eorum conuelleretur. Erat hoc quidem
ridiculum & deſperatæ væcordiæ inceptum ;
quod hominem deſideraret non vſitato more
veritati inimicum, natura & arte factum ad
mentiendum. Sed nihil volentibus difficile.
Ne te longis ambagibus morer ; poſt diutur-
nam inquiſitionem ægrè tandem repertus eſt
Andreas neſcio quis Eudæmonoiohannes Ie-
ſuita, qui veritatem oppugnare, mendacium
ſtabilire & veteri Sophiſtarum inſtituto, * ἥττω λόγον κρείττω ποιῆσαι palàm atque alacris ſuſci-
peret. Bene habet : inuenit tandem patella o-
perculum : * ὡς αἰεὶ θεὸς ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς ὁμοῖον. Pſeudomartyri deſtinatur patronus,
homo Græcus origine, domo Cretenſis, pro-
feſſione Rhetorculus. Græcis veteres multa
vitia, (ignoſcat mihi natio aliâs vt ſcis amica ;
ſed nulla ſuis peculiaribus vitijs gens caret :)
dixerunt

* *deteriorem cauſam reddere meliorem.*

* *Adeo ad ſimilem ſemper ſimilem Deus ducit.*

dixerunt eſſe propria: ingenium leue, vafrum & verſipelle; fidem etiam in teſtimonijs fluxam, aut potuis nullam. Cretenſibus mendacitatis palmam tribuerunt. Sed mendacitati addit feritatem & malitiam vetus verſus, etiam apud Paulum Apoſtolum, *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία. iſte verò Andreas & Græcus & Cretenſis eſt; & hoc amplius ſophiſta ſiue diſertulus orator. Quid ſpectarint qui hijſce potiſſimum dotibus inſtructum, inter aliquot millia præſtantiorum ingeniorum, elegerunt, cui hanc prouinciam mandarent, neque debet ambigi, neque poteſt. Rectè enim iudicarunt homines ſolertes & ſimilium negotiorum *τέλωναι; ad labefactandam fidem veriſſimorum Actorum, & Garnetti, rei proditionis peracti, martyrium aſſerendum, quas diximus dotes eſſe aptiſſimas, atque adeo omninò neceſſarias. Græcorum quidem vitia à natura ſibi inolita tanto facilius Andreas iſte retinuit, quia doctrinam Græcorum, peculiarem olim nobiliſſimæ illius gentis laudem, parum vt videtur, curauit. nulla certè in ſcriptis ſolidior eruditio apparet: nulla veterum auctorum, niſi M. Tullij lectio accuratior: ne hiſtoriæ quidem Eccleſiaſticæ, aut Patrum, vel

* *Cretenſes ſemper mendaces, male beſtiæ.* Tit. 1. 12.

* *Magnum vſum habentes.*

vel inſtitutorum decretorumue priſcæ Eccleſiæ, vllam deprehendas ſaltem tolerabilem in eo viro cognitionem. Græcæ quinetiam linguę ipſum eſſe imperitiſſimum, que legi illius mihi dudum perſuaſerunt. Neque aliter te quoque iudicare confido; ſi tamen feciſti illa tanti, vt vel obiter aliquando inſpiceres. Cretenſium verò mentiendi artem, quàm probè calleat, quantus ſit in illa artifex, & cæteri quidem libri ipſius de rebus Anglicis non obſcurè declarant: ſed omnium maximè & inſigniſſimè, quæ eſt ab illo ſcripta atque inſcripta *Apologia pro Garnetto*. hîc mendacitatis & impudentiæ vela panduntur: hîc obtrectationi, maledicentiæ, virulentiæ, & harum virtutum matri, calumniæ egregiè litatur. Volo eius libri guſtum aliquem tibi exhibere; ſed paucis, ne tua morer tempora. Capite primo negat mirari quenquam debere, quod de rebus Anglicis ſcribere non vereatur.: Multa enim etiam arcana regni huius longo vſu didiciſſe ab Anglis, quibuſcum vixit. qui autem fuerint illi Angli, ne verbo quidem ſignificat. Sed dubium non eſt, Societatis veſtræ aut aliarum Sodales fuiſſe, vel Monachos, qui Romæ, aut alibi in Italia ſunt non pauci: nec non perdu-

elles

elles qui res hic fruſtra nouare conati, ne pœnas proditionum ſuarum luerent, Romam ad aſylum commune, (ſic multi exiſtimant) confugerunt; vt Teſmundus fecit ſiue Greenwelius & Gerardus: quos nonnulli è Cardinalibus, ſicut audiuimus, parum amico vultu initio exceperunt. Quis verò non videt Andream noſtrum de propoſito ipſi ad ſcribendum argumento, ab illis quidem prioribus, Scholaſticis hominibus, & qui ferè multo antè ſolum verterant, nihil admodum potuiſſe diſcere; a poſterioribus verò nihil niſi falſi? Quare ſiquid illi reſtat ingenui pudoris, fateatur liberè, quod res ipſa arguit; de coniuratione puluerariа & Garnetti cauſſâ, pleraque ipſum neceſſariò ignoraſſe; plura, quę falſa erant pro veris credidiſſe. Capite ſecundo, vt nouam de æquiuocatione doctrinam defendat, quantum illi temporis in captioſa diſputatione perijt? Nam qui tam multa dicit, quod ad rem faciat nihil quicquam dicit. Vt præſtigiatores, quos pſephopęctas olim vocabant, acetabulorum & calculorum ſubtili tranſpoſitione ſpectantium oculis illudunt: ita ingenioſus hic Cretenſis, dum æquiuocationem tuetur, vocis ambiguitate fucum facere lectoribus co-

natur. Profert loca nonnulla Scripturæ, cum interpretationibus Patrum : quæ vbi legeris, intelliges nihil ex ijs posse euinci nisi hoc duntaxat; non omnia sacræ paginæ verba simpliciter accipi debere, vt sonant. quis nescit? aut quis ignorat multa occurrere in vtroque Fœdere & dicta figurata, & facta προδόξα, mysteriorum plena, quę non sint secundum literam pingui Minerua accipienda? Scimus etiam multa sæpe de toto Christo dici, in quo est * ἀσυγχύτως ἄλλο & ἄλλο, vt in sacrosancta Trinitate * ἄλλος, ἄλλος, ἄλλος; quæ alteri tantum naturę proprie conueniant, propter illam quam appellant Theologi * ἰδιωμάτων κοινωνία. Sed illas sententiarum Theologicas figuras & obscuriores enunciationes, quis veterum Patrum dixit esse æquiuocationes? quis in illorum locorum explicatione hoc corollarium inde elicuit; vt per illa artem mentiendi peierandique apud Magistratum, qualem ante descripsimus, diceret stabiliri? Perperam igitur putat Andreas, esse hæc Æquiuocationis in verbo Dei exempla. Apologista verò multò magis ridiculè. Christum ipsum quinquies æquiuocatione vsum: (si Personium diligenter legisset, poterat numerum ponere multis

* *siue confusione aliud & aliud.*
* *Alius, alius, alius.*
* *Proprietatum cõmunionem.*

multis partibus maiorem; hoceſt impietatem ſuam augere:) & adfert huiuſmodi exempla; vt cum Lucæ capite altero, Doctoribus quæſtiones proponit ſoluendas, quaſi ignorans: Et cum alio loco velut neſcius ficum explorat, an ficus habeat. Non exagitabimus hanc inſaniam, quæ ſumma cum impietate eſt coniuncta; rogabimus tantum vt nos doceant, quid loca hæc & ſimilia habeant commune cum ea quam deſcripſimus Æquiuocatione. Hoc doceat nos Apologiſta; & per nos Rex eſto. Etiam illud fraudem habet apertam; quod & Andreas iſte & ferè omnes, qui de æquiuocatione hac ſcribunt, multa prius de Romano-Catholica Eccleſia præfantur; quæ vt ait Eudæmonoiohannes, *mendacium omne quamuis leue, quamuis iocoſum, quamuis officij humanitatiſque plenum abominatur.* Aurea hæc quidem verba ſunt, nec minus Eccleſiæ verè Catholicæ, quæ audit columna veritatis, conuenientia, quàm praxi quotidianæ multorum Catholicorum è veſtris manifeſto contraria. Quare aut Garnettianam æquiuocationem iſti pro mendacio non habent; quam probauimus exquiſitiſſimam & * ὀλεθριωτάτην eſſe mentiendi rationem; aut apertiſsimè

* *Perniciosissimam.*

cùm iſta dicunt mentiuntur; niſi præſto ſit illis quò ſuam nuditatem tegant, beneficium æquiuocationis, verè * συκίνη ἐπικουρία. Eodem capite narratam ſuperius de Treſhamo hiſtoriam non veretur in dubium vocare; ſed quem iam reperiet, qui fatuas ipſius coniecturas non irrideat, poſtquam illa quæ ante ſcripſimus legerit? Capitis tertij diſputatio ita palàm falſa eſt, & toties à magnis viris confutata, vt ipſum Andream ſine riſu illa non arbitrer ſcripſiſſe. Itáne verò de Papæ in Principes omnipotentia nihil docent Ieſuitæ, quod non pariter defendant omnes Catholici? diceret aliquos Catholicos veſtros, & verum diceret. Nunc falſum eſt, Catholicos omnes ſiue antiquæ ſiue præſentis Eccleſiæ, in illo dogmate conſentire: falſum eſt omnes veſtros. Si neſcit Andreas, legat Torturam Torti, nec pudeat à tam exquiſitæ doctrinæ viro diſcere quæ ignorat. Ibi etiam inueniet ſolidè confutatum quod eodem capite malis auibus conatur demonſtrare: Nihil eſſe in religione Catholica cur metuere Principes debeant. hoc de hodierna veſtra tam falſum eſt, quàm de antiqua fuit veriſsimum. Fraudem & illud continet; in excommunicato Rege expreſſam

* ſiculneum auxilium.

ſam ſententiam neceſſariam eſſe, vt nocere illi quiſquam iure queat: nempe hoc eò pertinet, vt horribilis doctrinæ inuidiam minuat: & Sereniſsimi Regis fidos Conſiliarios reddat omiſsiores. Sed operam miſer abutitur ſuam. Norunt enim zelotas hodiernos ſine vlla dubitatione Thomæ aſſentiri, qui diſertè pronunciat, *ipſo facto excommunicati ſubditos eſſe abſolutos à dominio eius & iuramento fidelitatis:* quod & alij multi ſentiunt. Norunt cuiuſmodi doctrina eo libro doceatur, cui titulus eſt, Directorium Inquiſitionis; & quid iuris in Reges qui vobis ſunt hæretici, Inquiſitores Romani ſibi vindicent. Norunt praxin zelotarum Eccleſiæ veſtræ; & hæret memoriæ vox Catiſbeij; *Quem Papa voluit excludi, eum procul dubio admiſſum vult detrudi.* Sic etiam de expreſſa excommunicatione an ſit neceſſaria, varias eſſe veſtrorum ſententias non ignoramus: ſed quid Zelotæ probent, doceant, ſequantur, ne id quidem ignoramus. Prophetarum imperium in Reges Iudæorum, & ius eos deponendi, de quo capite eodem, profanorum hominum ſtultum & ridiculum eſt commentum. deinde vt ita eſſet, quid hoc ad Pontificem? Nam Prophetæ quicquid gerebant, expreſſâ

Dei iussione gerebant, tanquam illius ministri extraordinarij. Vtinam placeret Papis Prophetarum exemplum; & quoties fulmine suo temporali sæuire in aliquem Principem cogitant, vocem Dei, & iussionem expressam sibi ducerent exspectandam. Piget pergere vlterius: nam ad hoc instar totus liber est compositus; & vel nouæ doctrinæ immanitas caute dissimulatur, vel confessiones Garnetti, & cæterorum proditorum, impudentissimè negantur. Inuehitur etiam singulis ferè paginis in virum Regni huius primarium, D. Edoardum Coquum, nunc supremum communium Placitorum Iudicem; tempore verò iudicij de coniuratis celebrati, Generalem fisci Regij Aduocatum. quumque ipse sit mortalium mendacissimus; audet tamen viro in maximis Reipublicæ negotijs spectatissimo; qui in illo iudicio nihil propria auctoritate gessit; nihil quod non ab ipso ratio officij exigeret; qui nihil dixit, nihil fecit, quod non quiuis alius ex illo virorum illustrissimorum & amplissimorum consessu fuit dicturus, si partes Regij Aduocati sustinuisset: audet inquam Cretensis fraterculus, quantus quantus est totus ex mendacijs conflatus, viro tanto mendacium

dacium obijcere : idque tanta proteruitate & inuerecundia, vt videatur exiſtimaſſe, cum aliquo Cretenſi ſui ſimili rem ſibi eſſe. Sic lupę caſtiſſimas matronas vocitare lupas amant: merobibę & multibibę abſtinentiſſimas quaſque ebrioſas & temulentas. Sic etiam Proceres Regni huius & Eccleſiæ Anglicanæ moderatiſſimos Præſules, non dubitat idem hic Andreas, eius libri capite ſecundo appellare, *homines Catholici ſanguinis auidiſſimos.* ſæpéque alibi crudelitatem eis exprobrat : ipſe eo elogio digniſſimus, ipſe crudeliſsimus, ipſe cædium & parricidiorum defenſor & auctor terrimus. Nam qui lanienam dilaudat in pleríſque omnibus Galliæ vrbibus anno CIↃIↃLXXII. furore inaudito patratam; hunc quis ambigat cædibus delectari, cædes ſpirare, cædes optare, & ſanguinem Chriſtianum ſitire ? Laudat autem Cretenſis noſter Bartholomæianum facinus in Anticotonis Confutatione capite tertio. Nec enim puduit Theologum, & quidem Ieſu imitatorem peculiarem, tantæ immanitatis facinus commendare. Non puduit animum ſuum patefacere, cruoris Chriſtiani auidiſſimum. Ipſi, qui exoticis conſilijs corrupti, lanienam illam probarunt,

probarunt, qui imperarunt, mox à patrato facinore, atrocitatem illius & sceleris magnitudinem tum demum intelligentes, eius consilij auctores sunt detestati; ac pœnitentiæ suæ certis testimonijs editis, à cædibus perpetuò deinceps abhorrentes, Christianorum sanguini parcere studuerunt. huic Theologo, huic Iesuitæ semel facta laniena non est satis. Idem in alio libro, quem Parallelum appellauit, filium Henrici IV. Imperatoris laudans, quod in Patris mortui cadauer sæuierit; annon clarissimè docet, dirissimum quodque scelus se facilè probaturum & laudaturum, quod specie pietatis fuerit admissum? Apage Theologum sanguinarium, & cruoris humani auidum. Non hoc Domini Iesu doctrina suadet; non doctrina Pauli, vetantis malum fieri vt bonum eueniat; non exempla piorum Patrum. Romę quid hodie suadeatur, nescimus: ad nuncium infamis lanienæ quid factum sit, quid dictum, scimus; & illorum furorum memoriam vt longa dies aboleat optamus. Et miraris, mi Fronto, vestram Societatem Regi Serenissimo & omnibus prudentibus Politicis esse exosam cane & angue peius, quæ talia monstra pariat? Auertat verò Deus Opt. Max. talem

lem peſtem terris : neque permittat eius bonitas, vt Principibus Europæ adſint conſiliarij huic homini ſimiles, vel potius feræ belluæ, & vt agnoſcas germanum Cretenſem ex ſuperiore verſiculo, * κακῷ θηρίῳ. Hæc ſi doctrina eſt veſtræ hodie Eccleſiæ Catholicę, protinus *exeat illa Qui volet eſſe pius.* Sin pauci mali totum corpus infamant, & ſcimus ita eſſe, cur feruntur, cur laudantur iſti Alaſtores, hoſtes humani generis? Redeo ad Andream, cuius vt hoc etiam addam, totus ille liber Parallelus, quid aliud eſt niſi fætidiſſima conuitiorum & impudentiſſimorum mendaciorum cloaca? Nam qui rationibus viri ſine controuerſia maximi, integerrimi & vndequaque doctiſſimi, reſpondere non magis poſſet, quàm Pygmæus aliquis aut Thiodamas Lydius Herculi clauam extorquere; ne ad libri conſpectum factus eſſe repentè mutus ſuis ἐργαλώτατος videretur; rationibus calumnias oppoſuit, argumentis conuitia, doctrinæ ſtupendæ deteſtandam maledicentiam. Accuſat grauiſſimum Prę ſulem, quod Terentum & Plautum legerit iuuenis in Academijs: nam ex eo tempore, hoc eſt ab annis XXX. Plautum vix in manus aliquando meminit ſumſiſſe; Terentjum ne ſe-

* *Male beſtiæ.*

mel quidem attigit. Siqua igitur veteris lectionis vestigia in scriptis senis veneranda apparent, accusat felicem illius memoriam & cum Deo, eius beneficij auctore, expostulet. Sed quid sibi noui critici volunt & Andreas ille & Capellus Franciscanus, qui stylum Plautinum vel Terentianum auctori illi obijciunt? Nos qui Plautum non semel legimus, qui Terentium plurimum amare profitemur, nihil eiusmodi animaduertimus. Nimirum ita est: Capellus, vt fateturipse, literarum imperitus, ad sententiam de stylo ferendam, planè alba linea est. Andreas verò, in colligendis è Ciceronis floscvlis hactenus occupatus, quicquid in Tullio non obseruabi, putat Plautinum esse vel Terentianum. Accusat Presulem, quod non alienus sit â doctrina Catholicæ Ecclesiæ in non paucis; & homo amens persuasurum se Regi Serenissimo putat, melius se, qui Romæ est, quàm Maiestatem ipsius Episcopum nosse, cuius intimi sensus ex quotidiano vsu Regi omnes patent. Nos verò hoc scimus & affirmamus; si cætera Ecclesiæ vestræ omnia illi probarentur; quid autem probet, quid improbet, scripta faciunt fidem; vel vnicum tamen de Papæ omnipotentia & tyrannide in

Reges

Reges dogma, ita ipsum abominari, vt Ecclesiam in qua ea doctrina vigeat, pro vera & incorrupta nunquam sit habiturus. Desinat verò Andreas Regi sapientissimo palpum obtrudere, quamdiu Episcopo obtrectabit; cuius innocentiam, integritatem & πάντοιαν ἀρετὴν, nemo nouit melius, nemo prædicat libentius, quam Serenissimus Rex Iacobus; qui iudicij maximi Princeps quum sit, quò hæc Cretica techna spectaret, statim animaduertit, & eius auctorem multis adstantibus, & me quoque præsente atque audiente, pia oratione est detestatus. Quare si sapit* ἄλλην δρῦν βαλανιζέτω, Rex Iacobus, ἐλεύθερος & sublime volans Aquila est; cui non benè hæc retia tenduntur. Si poteretur instituti mei ratio, disertuli huius vanitatem & mendacia impudentissima spectanda tibi, & quasi manibus palpanda exhiberem. Sed neque mihi id propositum est; & hoc melius præstabunt Angli, viri doctissimi, quos scimus in eo suam nunc occupare industriam, vt & Apologiam pro Garnetto, & Parallelum, veris argumentis confutent; & vestram Societatem doceant, quàm sępe Cretensis Andreas caussam Ecclesiæ vestræ male agendo prodat, & vobis omnibus odium bonorum

* Omnis generis virtutem.

* Aliam quercum excutiat.

conciliet. Mihi satis erit, indicasse tibi paucis, qualem Garnettus martyrij sui assertorem sit nactus: & quàm erret Apologista cum * Κρητὶ κρητίζοντι fidem habet, eum laudat, & sequitur. Nos in caussa Garnetti, & quæstione hac decidenda, Sitne ipse martyr annon censendus; magnum & omni exceptione maiorem habemus arbitrum, quem omnibus Cretensibus, omnibus Apologistis, omnibus zelotis fortiter opponamus: quo nemo liti huic terminandæ magis idoneus inueniri possit, ac ne cogitari quidem. Nam quis de Garnetto melius iudicet, quàm ipse Garnettus? Audianius igitur hominis mortem meditantis veram vocem, & de ipso secundum ipsum pronunciemus. Paucis diebus priusquam vltima lux Garnetto illuceseeret, venêre in Arcem, & cubiculum ipsius, vt omnia humanitatis officia ei præstarent, aliquot è præcipuis Regni totius Theologis, vnà cum viro nobili Arcis Præfecto; quos inter hij quoque erant: Doctor Iacobus Montacutus, Decanus tum Regij Sacelli, nunc Episcopus Bathonienſis & Wellenſis; Doctor Neilus Sacellanus tum regius, regijque Oratorij Clericus & Westmonasterienſis Decanus, nunc Episcopus Lichfeldenſis,

* Cretensi cretissanti.

ſis, & Doctor Iohannes Oueralus, Decanus ædis Paulinæ Londini; doctrina, humanitate, & pietate viri omnes præſtantiſſimi. Hi vnâ cum Garnetto multâ quum eſſent locuti, fortè euenit, vt vnus ipſorum quæſtionem hanc illi proponeret; Si poſt ſupplicium Eccleſia Romana Martyrem ipſum declararet, ecquid factum laudaret, & verum Martyrem futurum ſe crederet? tum ille ex alto ſuſpirium trahens, humeróſque adducens; *Martyrem me?* inquit. *ô qualem Martyrem! Sed neque Eccleſia hoc faciet, & ego Deum oro, ne huius vnquam illi in mentem veniat. Equidem ſi pro religione Catholica mortem obirem, neque aliud, infelix, ſciuiſſem, præter illa quæ per viam Confeſſionis ſciui; poteram fortaſſis honore martyrij non indignus videri, & iudicium Eccleſiæ promereri. Nunc ego peccatum agnoſco meum, & ſententiam, quæ aduerſus me eſt pronuntiata, fateor eſſe iuſtiſſimam.* Deinde iterum atque iterum ſuſpiria ingeminans, & pœnitentiæ non ſimulatæ ſigna exhibens; *Vtinam*, inquit, *quæ facta ſunt poſſem infecta reddere. Vtinam quiuis alius mihi potius accidiſſet caſus, quàm vt nomen meum proditionis infamia deturparetur; quod tamen peccatum, etſi grauiſſimum, per veram pœnitentiam ſpero delendum, & Chriſtum mei miſertum. Ego certè*

si vel vniuersum Orbem terrarum in potestate mea haberem, vniuersum lubens darem, vt à proditionis crimine, quod conscientiæ meæ impressum est, quodq; in elogio meæ condemnationis extabit, purus mori possem. Hanc ego historiam scitu dignissimam, quum à Decano Paulino antiquæ pietatis viro, Angliæ suæ singulari ornamento, in familiari colloquio didicissem, eademq; mihi postea ambo Reuerendissimi Episcopi, quos interfuisse colloquio ostendimus, narrassent; putaui faciendum, vt illam tecum communicarem. Vtinam verò & Andreas Eudæmonoiohannes, & Apologista, & quicunque alij è vestris de rebus Anglicis hactenus scripserunt, Garnetti exemplo admoniti, errorem suum agnoscere, veritati manus dare, & candidè posthac velint agere. Vtinam serio tandem aliquando vellent cogitare, quàm fœdam Ecclesiæ Catholicæ notam inurant, qui viam in cœlos per proditiones, nefaria facinora, cædes & parricidia docent patere. Egerat Garnettum præcipitem zelus præposterus, vt hanc etiam ipse insaniam insaniret. pœnituit, mutauit factum, damnauit, & serio est detestatus. Laudent vestri pœnitentem, & sequantur potius, quàm vt insamientem cum pro-

proditoribus per mendacia defendant, & ſupplicium ex ea cauſſa paſſo martyrij coronam induant. Martyrem non pœna facit, ſed cauſſa. quum igitur meritas dare ſe pœnas totius ille ſit confeſſus; quæ inſania, immo quæ impietas eſt, pronunciari à vobis eum Martyrem, qui iuſtiſſima ſe damnatum ſententia agnouit? Et de hijs quidem hactenus. Supereſt vt de perſecutione veſtrorum in hoc regno, cuius in epiſtola tua facis mentionem, pauca reſpondeam. Eſt verò facilis reſponſio, & ea quidem vera & certa. Nullam fuiſſe vnquam in Anglia, nedum nunc eſſe, ſub Principe tam miti & benigno, veſtrorum Catholicorum ex cauſſa religionis perſecutionem. Nam quum, vt ſupra verè dicebamus, nulla hic vnquam lex lata fuerit, quæ pœnam capitalem veſtris, ob id ſolum irrogaret, quod ex formula Romana Catholici eſſent; quî potuit aduerſus illos perſecutio inſtitui? quo iure actor niteretur? qua iudex lege in eos animaduerti iuberet? Nulla igitur eſt, nulla prius fuit, Catholicorum Pontificiorum, * ἢ τοιάδε, perſecutio in his regionibus. quare ego qui tot iam menſes in Anglia hæreo, quum ſedulò inquirerem, nunquam vidi, nunquam audiui quenquam

* Quatenus tales ſunt.

quam eo nomine fuisse in ius vocatum, nedum capitis periculum subijsse, quod de religione idem vobiscum palam sentiret. amplius dicam & verè dicam; Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω: noti mihi sunt in vrbe Londino nonnulli, quos nemo ignorat è vestris esse, neque ipsi dissimulant: neque propterea minus aut conspiciuntur in publico, aut ad domos aliorum ciuium liberè minus ventitant. Quænam igitur hæc, rogo te persecutio est? aut cui dicemus similem ex illis decem, quas B. Augustinus & Orosius obseruant accidisse, post Christi mortem ad tempora Constantini? Hæc ita esse, quum ne ipsi quidem ignorare possitis, restat, vt persecutionem appelletis minus liberam vestrorum rituum celebrationem, & necessitatem præstandi iusiurandum fidelitatis. De libertate hoc tantum dicam. Norunt omnes Angli quibus hodie legibus in Anglia viuatur: quas si parum probant, liberum illis sibi consulere & suas fortunas, si ita malint, aliò transferre. Vtantur libertate hac sua, & sibi consulant: at de libertate religionis ne querantur moneo: periculum enim est, ne querimonijs suis leges excitent, quas Regis clementissimi bonitas penè iam dormi-

re

re ſinit. Metuant igitur, ne irritata patientia in ſeueritatem mutetur, & voluntatem imitandi exempla, quæ in Italia, Hiſpania, atque alibi inter vos quotidie eduntur. De fidelitatis iuramento, cui occaſionem præbuit puluerariа coniuratio, & quod ne cui ſit fraudi in poteſtate eſt Summi Pontificis, miror cur querantur Angli Pontificij. quererentur potius de Cardinale Bellarmino, & nonnullis alijs, qui Paulum V. initio renuentem (non temerè dico ; ſed quia magnos auctores habeo :) obdurare animum coegerunt ; vt quantum hic eſt veſtrorum perire potius ſineret, quàm vt rem æquiſſimam & iuſtiſſimam illis permitteret. Quid iuſtius quàm vt Regi ſuo ſubditi fideles ſe futuros polliceantur ? poſt coniurationem præſertim adeo Barbaram, adeo immani crudelitate inſignem. Oro, quæſóque te, mi Fronto, poſitis affectibus, rem velis paullo accuratius expendere. Reſpublica, vt ſcis, domus magna eſt. Rex in Republica quod paterfamilias in domo priuata. putáſne igitur tore conſultum patrifamilias alicui, ſi in familia ſua famulos habeat, de quorum fide erga ſe non ipſi conſtet ? immo quorum fidem meritò ſuſpectet ? nemo, opinor, non inſanus,

hoc dixerit ; nedum tu hac probitate vir & doctrina. Quamobrem aut Regi Iacobo in regno ſuo non licet, quod priuato cuiuis in ſua domo ; aut hæ de Iuramento fidelitatis ſubditorum ipſius querelæ inanes ſunt & iniuſtæ. Equidem multos partim in Gallia partim in Anglia Pontificios conueni, multorum ſcripta legi ; qui hoc iuſiurandum non ſolum æquiſſimum, verum etiam ſanctiſſimum eſſe iudicant. Quare etiam multi è veſtris Catholici, quidam etiam Presbyteri, ipſéque adeo Archipresbyter Blackuellus, ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo præſtiterunt iam illud non inuiti, & alijs vt ſimile facerent, auctores fuerunt. Sunt tamen nonnulli apud quos plus Bullę Pontificis & Bellarmini epiſtolæ valent, quàm lex Dei, ius naturæ & omnium gentium, aut etiam exempla ſapientiorum. In hos ſi lex vim ſuam exerat, quis locus eſt querelæ ? Et vos qui perſecutionem Catholicorum hoc vocatis, quo iure, quo vetuſtatis exemplo hoc faciatis,ne ipſi quidem dicere poſſitis. Nunquam enim factum, nunquam auditum, vt populus aliquis Chriſtianus perſecutionem pati ſe diceret, ſi legitimo Principi ſuo, fidelitatis iuſiurandum præſtare iuberetur.

tur. at contra legimus in Concilijs, Anathema pronuntiari in eos qui Sacramentum fidei ſuæ temeraſſent, quod pro patriæ ſtatu vel conſeruatione Regiæ ſalutis eſſent polliciti; eoſque ab Eccleſia Catholica effici extraneos declarat Concilium, vt ſcis, Toletanum quartum. Adde quod legis huius executio ita lentè à Regijs miniſtris exercetur, ita molliter & per interualla, vt vel illud ipſum fidem facere vobis debuerit, inuito Rege optimo, dolente ac gemente, fundi ſanguinem, ſiquis fortè aliquando, ex ea cauſſa fundatur. Quam multis in recuſando Iuramento obſtinatis ſemel, iterum, ſæpius pro grauiore pœna indictum exilium? Teſtis ſit ille presbyter Robertius, qui ſæpius vitam cum accepiſſet donante Rege; & quidem ſemel petente nomine Regis Chriſtianiſsimi Henrici IV. ipſius Legato, viro præſtantiſsimo D. Fabricio Boderiano; accepiſſet autem ea lege atque omine, vt vel in Angliam rediret nunquam; aut ſi reuerteretur ſciret ſine vlla ſpe veniæ legis pœnam ſibi fore ſubeundam: mox contra fidem datam vtriuſque Regis miniſtris, viris ampliſſimis, reuerſus, & in peruicacia ſua etiam confirmatior repertus; tandem

cum altero eiusdem sententiæ & meriti presbytero, legi quam toties violauerat, satistecit. Hic est ille Robertius, qui nuper à Dominicano quodam isthic, vt audio, sine suffragijs consecratus, & edito libello verus ac sanctus Martyr est declaratus. Equidem non crederem hominibus è superstitione insanientibus tantum isthic licere, vt eiusmodi figmenta impunè publicarent: nisi ipse mihi Rex Serenissimus eum libellum se vidisse ac legisse confirmasset. Quid? an id ergo agitis, vt omnes qui vbique gentium sunt intelligant, viam vos nouam in cœlum & * χωρεῖν μαχαίρων aperuisse per rebellionem erga Principes, perfidiam, cædes, parricidia? At quanto maior laus vos maneret, si id potius ageretis, ne illis perire esset necesse, quos vbi perierunt magnihonoris specie, magna cum omnium indignatione, afficitis. Hoc potius curaretis: & infelicium Anglorum conscientias liberaretis adstrictas vinculis * ἀραχνώδεσι, quæ ipsis Cardinalis Bellarminus magis quàm Pontifex Maximus, nexuit. Agite, probate hoc argumento non esse vobis Christianorum, fratrum saltem vestrorum, sanguinem vilem. probate pertinere ad vos alienas miserias. probate veram charitatem &

* Sedem beatorum.

* telis aranearum similibus.

* σπλάγ-

*σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ vobis non deeſſe. poſtremò nolite pati, vt Rex Sereniſsimus, quem ipſi Hæreticum dicitis & Iuliano comparatis, fruſtra vobis ad humanitatem viam præiuiſſe queat videri: cum in Monitoriâ dudum ſuâ non alienum ſe ab eo fuiſſe oſtendit, vt quò ſaluti ſuorum paterno affectu conſuleret, quæ in Iuramenti formula duriuſculè ſonare viderentur, ea aut deleret planè aut benigna interpretatione molliora redderet. ô bonitatis admirandæ Principem: cuius ſinceram charitatem & συγκατάβασιν ſi vos quoq; imitaremini, fructum veſtræ pietatis longè maximum, ſine controuerſia, Eccleſia Dei terret. En erit vnquam ille dies, cum veſtrorum Præſulum coryphæos, penes quos eſt ſumma rerum, hæc pia cogitatio occupabit? Enimuerò ſatis, ah, plus ſatis ſtudio partium vtrinque hactenus eſt datum. Satis turbarum in Europa excitatum. Non hoc nobis Dominus noſter cœlum repetiturus dedit mandatum. Pacem ille nobis reliquit, pacem ſuam. Cur reijcimus? cur iurgia è iurgijs ſerimus, & de concordia Eccleſiæ ne cogitari quidem patimur? Quin potius ad Filium Dei omnis boni auctorem totis animi viribus ſeriò conuerſi, ſupplices illum veneremur,

* viſcera miſericordiæ.

[illegible] nostra ade-
[illegible] ipsius ineffabilis mi-
[illegible] nobis restituat, restitutam seruet,
[illegible] firmam præstet. Γένοιτο, γέ-
[illegible] Male Fronto Ducęe, vir eruditissime; &
meum hoc de Apologia vestra iudicium, vt à
sincero affectu est profectum, æquo animo
accipe & in bonam partem interpretare. tum
autem responsi huius tarditatem occupatio-
nibus, valetudini & cupiditati meę fer accep-
tam, omnia quæ hic scripsi accuratè cogno-
scendi. πάλιν αὖ τὸ πάλιν ἔρρωσο. Data ad
Londinum metropolin Anglorum,
A.D. VII. Nonas Iulij.
CIↃ IↃ CXI.
(***)

Θεῷ χάρις.